LIBER QUARTUS. DE CONSENSU COACTO.

Diviſio totius libri.

EGimus duobus libris ſuperioribus de conſenſu matrimonii in genere, & de clandeſtino. Jam hoc quarto libro, de conſenſu metu extorto, diſputandum eſt. Cujus diſputatio utiliſſima eſt, eo quod metus in omnibus contractibus, in votis, religioniſque profeſſione poteſt intervenire. 1. igitur agemus de metu in genere, quando levis ſit, quandove in virum conſtantem cadat. Deinceps, quando irritet ceteros contractus, tam in foro externo, quam conſcientiæ, ita ut metu extorta reſtitutioni obnoxia ſint. Tandem, quando irritet ipſum matrimonium.

DISPUTATIO I.

Quid, & quotuplex ſit metus, quaſque conditiones petat, ut cadens in virum conſtantem ſit?

SUMMARIUM.

Violentum, coactum omnino, quid ſit; n. 1. Et an actus voluntatis poſſit eſſe coactus, 2.

Quæ metu fiunt, ſunt voluntaria, involuntariaque conditionaliter, num. 3. Et an potius voluntariis accedant; refertur opinio negans, 4.

Potius voluntariis accedunt, & ſecundum quid ſunt involuntaria, n. 5. & explicatur c. Majores, §. Item quæritur, de baptiſmo. Et quando metus excuſet a culpa, nu. 6.

Traditur, & explicatur definitio metus, n. 7. Et dividitur in quintuplicem, 8.

Dividitur timor in cadentem in virum conſtantem, & inconſtantem: & explicantur nomina, quibus hi timores appellari ſolent: & cur ille dicatur timor cadens in virum conſtantiſſimum a Juriſconſulto, 9

Quot conditiones petat metus cadens in virum conſtantem? & an oporteat, ut malum, quod timetur, grave ſit; 10.

An hæc gravitas mali conſideretur ſecundum ſe, vel comparative ad minus malum; refertur opinio dicens ſatis eſſe qualecumque malum leve ſit, reſpectu levioris mali, 11.

Verior opinio, requiri ut malum ſit in ſe, grave, 12.

Timor viri conſtantis poteſt accipi generaliſſime, ut diſtinguitur contra metum, quo aliquis ductus, imprudenter & inconſtanter, agit aut proprie, ut jura eum conſiderant, 13.

Refutatur opinio dicens, ſi timidus leve malum valde timeat, eſſe metum viri conſtantis, 14.

Exigitur ad metum viri conſtantis, ut timens rationabiliter credat malum ſibi imminere, 15.

Non requiritur vera mali illatio, ſed probabilis timor proximæ illationis, nu. 16. & ibi, explicatur l. Metum autem præſentem, ff. de eo quod metus cauſa.

Juſta & probabilis ſuſpicio metus, habetur pro metu, 17.

Timor violentiæ inferendæ, vitiat electionem, 18.

An oporteat, ut minans potens ſit exequi malum comminatum, 19.

An exigatur, ut ſolitus ſit exequi: & in eodem genere mali quod comminatur, nu. 20 & 21.

Quid, ſi tantum ſemel minas ſit executus, num. 22. & ibi, unicus actus non probat conſuetudinem: remiſſive, quid in dubio an ſolitus ſit exequi, & ibidem, quid ſi in alio officio judex, vel vir in priori matrimonio minas executus eſt.

Quid ſi timens, facile occurrere poſſet malo, quod timet, 23.

1 SUpponendum eſt 1. duplicem eſſe vim, quamdam abſolutam, quamdam vero conditionalem. Vis abſoluta eſt, quæ violentum ſimpliciter, & omnino coactum, ac contrarium voluntate efficit. Quod ſic definitur ab Ariſt. 3. Ethic. c. 2. *Violentum eſt, quod fit ab extrinſeco, paſſo non conferente vim*, id eſt, non concurrente, quo modo violentus eſſet motus Chriſtiani, quo raperetur, vique traheretur ad Idoli templum, ejuſque manus vi corriperetur ad thuribulo adolendum Idolis, omnino repugnante voluntate: quod idem aliis verbis docuit Juriſconſultus l. 2. ff. de eo quod met. cauſa ibi, *vis eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt*. Unde fit, ut cum omnino deficiat voluntarium, excuſet a culpa.

2 2. Supponendum eſt, an conſenſus aliquis voluntatis poſſit eſſe coactus? de qua re late tractatur per D. Th. & DD. 1. 2. q. 6. ar. 4. & 4. d. 29. q. 1. a. 1. ubi univerſi cum D. Th. concludunt nullum conſenſum voluntatis, id eſt, actum illicitum a voluntate, poſſe eſſe coactum ſimpliciter. Quod idem docuit Ariſt. 3. Ethic. c. 1. & D Greg. Nyſſ. l. 5. Philoſ. c. 1. quod ſic explicat D. Th. d. a. 4. duplex eſt voluntatis actus, quidam ab ipſa imperatus, & per alias potentias exercitus: ut ambulare, movere membra: & quoad hos actus poteſt omnino, & ſimpliciter voluntas cogi, poſſunt enim externa corporis membra vi arripi, ne voluntatis imperio obſequantur. Alius eſt actus a voluntate elicitus, propriuſque ipſius: ut velle, aut nolle: & hic actus nullo modo poteſt eſſe coactus ſimpliciter, & ratio eſt aperta, quia violentum ſimpliciter (ut dixi) eſt quod fit ab extrinſeco, paſſo non conferente vim: at quandocumque voluntas conſentit, vel diſſentit, jam confert vim, cum alliciat illum actum conſenſus, aut diſſenſus: ergo nullus ejus actus eſt violentus ſimpliciter. Et confirm. quia omnino repugnat aliquam volitionem eſſe in me, & meam voluntatem non eſſe principium ejus elicitivum: volitio enim eſt actus vitalis, qui nonniſi a principio vitali intrinſeco dimanare poteſt: ergo repugnat, ut voluntas illi volitioni non conferat vim, & conſequenter repugnat eſſe omnino, & ſimpliciter violentam.

Hinc manifeſte infertur, quæ metu quantumcumque gravi 3
fiunt, eſſe ſimpliciter & abſolute voluntaria, & libera: ita metum non inferre vim præciſam, ſed conditionalem, quia, ſcilicet, ſecluſo metu voluntas nollet. Ita dixit Juriſconſultus l. Si mulier 21. §. *Si metu coactus*, el 2. ff. de eo quod met. cauſ. ibi, *quia quamvis ſibi liberum eſſet, noluiſſet, tamen coact. volui*. Et l. Cum proponas, C. de hæred. inſt. ibi, *potuit enim quamvis jubente domino nolle adire*. Item probatur ex l. Si privatus, ff. qui, & a quib. & c. Merito, 15. q. 1. Quod idem agnovit Ariſt. 3. Ethic. c. 1. D. Th. & cum eo reliqui 1. 2. q. 6. a. 6. & 4. d. 29. q. 1 a. 1. Prob. 1. quia metus non alia ratione poteſt adimere libertatem, niſi propter coactionem, ſed non habet coactionem ſimpliciter, cum voluntas concurrat: ergo non adimit libertatem ſimpliciter. 2. Quia ad libertatem ſimpliciter, ſatis eſt ut poſſit aliquis elicere, & non elicere actum, ſed metu coactus poteſt abſolute nolle, ergo libere vult.

Merito tamen dubitari poteſt, cum metu extorta, mixta ſint 4
ex voluntario & involuntario, an magis accedant ſpontaneis, ac proinde ſimpliciter, & abſolute voluntaria & libera appellanda ſint, & ſecundum quid involuntaria? vel proprie & abſolute involuntaria, & ſecundum quid voluntaria? Nam Decius reg. Velle, 4. ff. de reg. jur. n. 3. & 4. tuetur metu geſta, eſſe proprie, & vere involuntaria, & tantum ſecundum quid voluntaria. Quod prob. 1. quia l. Si mulier, §. Si metu coactus, el. 2. ff. de eo quod metus cauſa, non dixit Juriſc. abſolute, volui, ſed coactus volui. Et preſſius urget c. Majores, §. Item quæritur, de baptiſmo, verſ. Propter quod, ibi, *Is, qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur ad baptiſmum, tamquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ*. Si ergo conditionaliter eſt voluntarium, & abſolute involuntarium; quod metu extorquetur, erit ſecundum quid tantum voluntarium; quod enim ſub conditione eſt tale, eſt ſecundum quid tale. 2. Probatur ex Ariſt. 3. Ethic. c. 1. ubi abſolute dicit, eſſe invita quæ metu fiunt.

Ceterum dicendum eſt magis accedere conſentaneis, dicique 5
ſimpliciter voluntaria, & libera, & ſecundum quid involuntaria, quæ metu extorquentur, quia ceſſante metu non eligerentur. Ut egregie docet D. Th. 2. 2. q. 6. a. 6. quem alii ibi ſequuntur, Duran. 4. d. 29. q. 2. ad 2. & Nav. ſum. lat præludio 9. n. 4. Cov. decr. p 1. c. 4 §. 1. n. 12. Et ratio D. Th. eſt; quia unumquodque ſimpliciter, & abſolute dicitur ſecundum hoc, quod eſt in actu, & in rerum natura; at ſecundum id quod eſt in apprehenſione, non dicitur ſimpliciter tale, ſed ſecundum quid, ſed metu extorta volitio, ſecundum id quod eſt in actu, & in ſingulari, attentis particularibus circumſtantiis eſt elicita a voluntate & electa, prout eſt impedimentum majoris mali, quod timebatur: eſt autem involuntaria, ut eſt in apprehenſione, in quantum apprehenſa extra hunc caſum, & excluſis his ſingularibus circumſtantiis, non eligeretur: ergo ſimpliciter eſt voluntaria. Nec obſtant adducta in contrarium: quia Juriſconſultus tantum voluit non eſſe omnino voluntarium, metu geſtum, ſed mixtum. Ad c. Majores, dico, tantum velle, eſſe conditionaliter voluntarium, & abſolute involuntarium quoad apprehenſionem, non tamen quoad actionem ipſam: ut explicui. Quare recte dixit D. Th. d. a. 6. in ſolut. ad 3. quod metu geritur, eſſe abſolute voluntarium: quia ut actu geritur, eſt voluntarium: & eſſe involuntarium ſub conditione, id eſt, ut eſt in apprehenſione: voluntas enim nollet, ſi talis metus non immineret. Eodem modo reſp. ad Ariſt. teſtimonium, intellexit enim eſſe invita, & involuntaria in apprehenſione.

6 Hinc fit, metum quantumcumque gravem, non excuſare a culpa, in iis, quæ intrinſece mala ſunt, veniali quidem, ſi alias ſecluſo metu eſſet veniale; & mortali, ſi ſecluſo metu eſſet peccatum mortale. Quia geſta metu, ſunt ſimpliciter voluntaria: & tenemur potius mortem ſubire, quam aliquam culpam, etiam venialem admittere, teſte D. Auguſtino, cujus dictum refertur cap. primum, & cap. Ne quis 22. q. 2. & D. Th. 2. 2. q. 110. a 3. ad 4.

7 His ſuppoſitis, ad definitionem metus deſcendendum eſt, ſic enim definitur ab Ulpiano Juriſconſ. l. 1. ff. de eo quod met. cau. eſt inſtantis periculi, vel futuri cauſa, mentis trepidatio. Dicitur mentis trepidatio. Quia ortum habet metus ex forti imaginatione periculi futuri, prope jam imminentis: dicitur, inſtantis, quia valde remota pericula non timentur; nec mentem perturbant, teſte D. Auguſt. ſerm. 1. poſt octavam Paſchatis, Dominica 2. Unde fit, ut cum omnes certo certius norimus nos morituros, mortem, tanquam valde diſtantem, minime timeamus. Dicit inſtantis; vel futuri, quia nondum periculum evenit. Quæ clarius conſtabunt ex conditionibus ad juſtum metum requiſitis, quas nu. 10. & ſeqq. explicabimus.

8 Metus autem in communi ſic dividitur a Zaſio, inſtitut. de act. §. Quadruplici, nu. 10. & Burſato conſ. 72. n. 11. vol. 1. ubi alios refert. Alius eſt metus concuſſivus, qualis eſt is, qui per minas infertur. Alius eſt impreſſivus, qui dicitur metus facti, ut cum actu interveniunt verbera, vel carcer. 3. eſt, ſuſpicionis, non temerariæ, ſed violentæ, ſeu compulſivus potentiæ: qui ita appellatur, quia metum incutiens eſt vir potens in republica. 4. eſt metus tacitus, & reverentialis, ut filii erga patrem, uxoris erga virum. 5. appellatur metus perfidiæ, quando, ſcilicet, perfidiæ timore aliquid datur, ut ſi morbo laborans, prodige largiatur medico, timens ne perfide medeatur; vel clientibus cauſidico, eodem timore.

9 Sed propius ad noſtrum inſtitutum accedendo, duplex eſt metus: quidam cadens in virum conſtantem, quidam vero in inconſtantem: ſic appellantur hi metus, cap. Conſultationi, c. Veniens, el 2. de ſponſal. c. Cum dilectus, de his quæ vi. Dum autem Juriſconſult. l. Metus, la 2. ff. de eo quod metus cauſa, appellat cadentem in virum conſtantiſſimum accipitur ſuperlativum pro poſitivo: & ita ſenſus eſt, in virum conſtantem: ut bene tradunt Dec. cap. fin de appellat. n. 2. & c. Cauſam matrimonii, nu. 4. de offic. deleg. Menoch. de arbitrariis, l. 2. centur. 2. caſu 135. n. 3. Flaminius de reſignat. beneſic. l. 13. q. 1. n. 54. & ſeq. ſicut idem Juriſconſultus l. Metum, la 1. ff. eod. tit. dixit metum eſſe majoris mali timorem, id eſt magni: ut explicat ibi gl. in principio. Quæ expoſitio magis aridet, quam intellectus Abbatis cap. Cum dilectus, n. 3. de his quæ vi, ubi quaſi corrigens Juriſconſulti ſententiam, ait, quamvis Juriſconſultus cenſuerit requiri, ut metus cadat in virum conſtantiſſimum, communem tamen tenere ſufficere, ut cadat in virum conſtantem. Appellatur etiam prior timor, juſtus, c. fi. de appellat. & conſequenter poſterior, injuſtus. Item prior appellatur probabilis, poſterior improbabilis. Sic appellat Goffredus ſumma tit. de his quæ vi, num. 2. Angel. verb. Metus, nu. 1. ubi Sylveſt. quæſt. 1. Solet etiam appellari metus gravis, & levis, ſive vanus. Et ita Juris l. Metum, la 2. ff. de eo quod met. cau. dixit, metum autem non vani hominis. Et ratio horum omnium eſt, quia prior timor non repugnat conſtantiæ, & fortitudini, ſed juſte, & probabiliter eo terretur vir conſtans. Poſterior autem conſtantiæ, & fortitudini repugnat, & inconſtantis, vani, leviſque hominis eſt illo terreri.

10 5. Deſiderantur conditiones, ut metus cadat in virum conſtantem. I. eſt, ut malum quod timetur, grave ſit, l. Metum, la 1. de eo quod met. cauſa, ibi, *metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, ſed majoris mali*. Ubi gl. ſtatim in principio, explicat, id eſt, magni mali. Nam inconſtantis, & levis eſt rem modicam timere.

11 Dubium autem eſt circa hanc conditionem, an magnitudo hæc mali attendatur ſimpliciter ex qualitate ipſius mali in ſe conſiderati, ita ut ſufficiat in ſe eſſe magnum, an potius comparative ad minus malum. Nam Sylv. verb. q. 1. & Veracruz 1. p ſpec. a. 8. concl. 3. Carbon de reſtit. q. 46. fundamento 3. dicunt conſiderari per comparationem ad minus malum: ac proinde quicumque eligit minus malum, qualecumque illud ſit, ut vitet majus, vere moveri timore cadente in virum conſtantem. Probatur ex l. Metum, la 1. ff. de eo quod metus cauſa, ibi, *metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, ſed majoris mali*. Ergo quilibet majoris mali timor cadit in virum conſtantem. 2. quia viri fortis, ac conſtantis eſt inter duo impendentia mala minus eligere. Et confirmatur, quia hic timore operatur, & non cadente in virum inconſtantem, cum conſtanter, & prudenter agat: ergo cadente in virum conſtantem.

12 Sed dicendum eſt, non ſatis eſſe, ut dicatur metus cadens in virum conſtantem, ut vir illud malum conſtanter caveat, ſed debere eſſe timorem gravis mali in ſe conſiderati. Quod egregie docuit Sotus 4. diſt. 29. q. 1. art. 2. verſ. Secundo per accidens. Et ratio aperta eſt, quia jura concedunt reſciſſionem contractus; ob timorem cadentem in virum conſtantem: quia is timor libertatem conſenſus impedit, cap. Cum locum, de ſponſal. ſed quando malum quod timetur, in ſe ipſo leve eſt, quamvis graviori malo anteponatur, non impedit in viro forti libertatem conſenſus: ergo is timor non cadit in virum conſtantem.

Ut ſolvamus autem argumenta contraria, magiſque hoc enodetur, conſiderandum eſt, ſicut logici dupliciter uſurpant ſubſtantiam, uno modo, generaliſſime, ut diſtinguitur contra accidens, & ita partes integrantes, ad differentias appellant ſubſtantiam: eo quod accidens non ſint. 2. modo proprie, ut eſt quoddam genus & ita ſolæ completæ ſubſtantiæ appellantur ſubſtantia. Eodem modo, timorem cadentem in virum conſtantem poſſe dupliciter capi, 1. generaliſſime, ut diſtinguitur contra metum, quo aliquis ductus, inconſtanter, & imprudenter agit: Et in hac generalitate omnis timor cujuſcumque majoris mali, quamvis in ſe leviſſimum ſit reſpectu minoris, dicitur cadens in virum conſtantem. Quia eligens illud minus malum, prudenter & conſtanter agit: Secundo modo accipitur proprie, prout eum conſiderant jura ad reſciſſionem contractuum, & ut impedit libertatem ad illos: & hoc modo non dicitur cadens in virum conſtantem, niſi quando timor eſt gravis mali. Ex his clara eſt ſolutio ad arg. contraria propoſita nu. 11. Ad 1. conſtat ex dictis, nam accipitur majoris, pro magni. Ad 2. dico eſſe cadentem in virum conſtantem, ad hunc ſenſum ut conſtanter agat, illud majus malum evitans, non tamen proprie, ut jura conſiderant. Ad confir. reſpondetur eodem modo.

Hinc infertur, minus bene Veracr. 1. ſpecul. a. 8. concl. 4. aſſe- 13
rere, majus vel minus malum non eſſe conſiderandum ex natura rei quia alias (inquit) timor in omnibus eſſet æqualis: cujus contrarium dicemus diſp. 3. num. 2 ubi minorem in femina, puſillanimi, exigi probabimus. Et addit, licet res ſit levis, ſi timidus magis malum eſſe ſibi exiſtimet, quam matr. inire, eſſe timorem cadentem in virum conſtantem, irritareque matr. Sed merito eum reprehendit Palacios 4. d. 29. diſp. 1. f. 660. col 2. verſ. Ad hæc. Quia tunc illa coactio non procedit ex natura timoris, ſed ex imaginationis corruptione: ergo non eſt dicenda coactio viri conſtantis. 2. probatur ex l. Metum, la 2. ff. de eo quod met. cauſ. ibi, *metum autem non vani hominis, ſed qui merito, & in hominem conſtantiſſimum cadat, ad hoc editum pertinere dicimus*. Sed hujuſmodi metus eſt vani, & meticuloſi hominis, nec merito cadit in virum conſtantem: ergo. Nec obſtat argumentum oppoſitum, vere enim exigitur grave eſſe in ſe malum, quod timetur, quamvis iſta gravitas reſpective conſideranda ſit, reſpectu perſonæ patientis metum. Semper tamen neceſſarium eſt, ut malum ipſum ſit grave, ita, ut merito, & non ex vana æſtimatione perſonæ timeatur.

II. Conditio ad metum cadentem in virum conſtantem eſt, 14
ut æſtimatione mali quod timetur, ſit fortis, id eſt, ut timens non vane, leviterque credat malum illud ſibi imminere, ſed probabiliter & rationabiliter. Ut colligitur expreſſe ex leg. Metum, la 2. ff. de eo quod met. cau. ibi, *metum autem non vani hominis, ſed qui merito, &c.* & l. Nec timorem, §. Proinde, el 1. ff. de eo quod metus cauſ. ibi, *ſi quis meticuloſus rem ullam fruſtra metuerit, per hoc editum non reſtituitur*. Et ratio eſt, quia hoc diſtat inter conſtantem, & inconſtantem, quod ille non niſi ex forti & probabili æſtimatione movetur: hic autem ex levi. Unde Prov. 28. dicitur. *Fugit impius nemine perſequente*, & Eccleſ. 19. *qui cito credit levis eſt corde*. Atque ita docent D. Thom. 4. d. 29. q. un. art. 2. corp. Scotus ibi, q. un. §. De primo contradictio eſt, Duran. ibi, q. 2. nu. 4. Ricar. ibi, art. 1. q. 1. D. Bonav. qu. 1. nu. 5. Gabr. 3. d. 39. q. 1. art. 2. ad fin. verſ. Juram. incautum, Sot. 4. d. 29. qu. 1. art 2. verſ. Alterum vero, Palacios 4. d. 29. diſp. 1. verſ. Diſtinguunt porro, fol. 655. Bart. a Ledeſ. dub 13. de matr. init. Et ex juriſperitis Turrec. 31. q. 2 in ſumm. num. 6. Sylv. v. Metus, qu. 1. Tab. verb. impedimentum, imped. 9. q. 1. num. 2. Bur. conſ. 72. num. 30. vol. 1. Alphanus collect. juris coll. 877. Hinc Ariſt. 3. Ethic. cap. 9. dicit fortem eſſe impavidum: quia non timet leviter, ſed ubi recta ratio timendum dictat.

Hinc infertur 1. non requiri realem, & veram pœnarum il- 15
lationem: quia ſic non timor, ſed damnum dicitur: ſed ſat eſſe timorem probabilem proximæ illationis, l. Nec timorem 7. ff. de eo quod met. cauſ. ibi, *quoniam ſi proditus eſſet, ea pati potuiſſet, quæ diximus*, & lib. 3. cum duabus ſeqq. ff. de donat. cauſ. mor. ibi, *mortis cauſa donare licet, non tantum infirmæ valetudinis cauſa, ſed periculi, & propinquæ mortis, ut ab hoſte, & c. aut per inſidioſa loca iturus, hæc enim omnia inſtans periculum demonſtrant*. Et l. 15. t. 2. p. 4. ibi, *o ſi quiſieſſen dar algunas penas*. Et docent gl. c. Bonæ, el 1. v. Metuebant, de elect. Bart l. Metum autem in princ. num. 1. ff. de eo quod metus cauſa, Sylv. verb. Metus, qu. 1. Greg. Lop. ea l. 15. v. Ole quiſieſen, Ant. Cuc. l. 5. inſtit. major. t. 12. n. 157. Hinc infertur intellectus ad l. Metum autem præſentem, 9. ff. de eo quod met. cauſ. ibi, *metum autem præſentem accipere debemus, non ſuſpicionem inferendi, ſed ſi illatus eſt timor ab aliquo*. Ubi clare videtur probari, non ſatis eſſe metus ſuſpicionem, ſed metum debere eſſe præſentem. Per quem textum gl. l. 1. ff. eod. tit. v. Vel futuri, notavit, quamvis malum futurum ſit objectum metus, at neceſſario metum debere eſſe præſentem, & tunc inſtare. Quod idem docuit gl. cap. Ad audientiam, verb. Cauſa, de his quæ vi, & ibi Anton. num. 14. Hoſtienſ. cap. 2. eod. titul. ſuper verb. Quæ metu: imo gloſ. eod. verb. Cauſa, & Anton. d. eod. num. 15. clare docent non ſat eſſe ſuſpicionem metus. Et clarius Bar. dict. l. Metum autem, init. n. 1. ait non ſatis eſſe metum, & niſi ab aliquo inferatur. Et Sotus 4. diſt. 29. qu. 1. art. 2. verſ. Alterum vero, quem ſequitur Bart. a Ledeſm. de matr. dub. 23. init. ait requiri, ut malum ſit præſentaneum, & jam illatum. Unde infert uterque, ſollicitantem puellam, ſtrepituſque auditui timorem percitum eam ducentem valide ducere; quia nondum illatus eſt, nec

præſens metus: & ſimile eſſe, ait Sotus, ſi timeret poſtea a parentibus metum inferendum. Sed textus, & Doctores intelligi debent, dum petunt metum præſentem: quia ſi de præſenti aliquis non timeat, nec malum futurum, mentis trepidationis cauſa ſit, non dicitur revera metus. Cum deficiat metus eſſentia, quæ eſt, mentis trepidatio: Et in quantum aſſerunt, ſuſpicionem metus non haberi pro metu, intelligunt, quando eſt vana & fruſtranea ſuſpicio. Ut conſtat ex l. Nec timorem 7. verſ. Proinde, el 1. ff. de eo quod met. cau. ibi, proinde ſi quis meticuloſus rem fruſtra metuerit, &c. Et dum petunt, ab aliquo eſſe inferendum metum intelligunt, vel actu inferente malum, vel ſi probabiliter, & non vane timeri poſſit de illatione proxima. Quod egregie docuit Bart. l. Metum, la 2. ff. de eo quod metus cau. initio, n. 1. dum ait, metum non accipi ſimpliciter, prout eſt vere de præſenti, ſed quando res ad hoc vere ſimiliter tendit. Unde notabiliter dicit Burſatus conſ. 72. n. 30. volum. 1. cum Alpiano collectariis juris, collectario 877. non ſatis eſſe, ſi quis ad cimbali ſonum timeat. Quod autem addit Sotus ſi timeret poſtea metum gravem a parentibus inferendum, non ſufficere: intelligendum eſt quando valde remotum eſt illud malum quod timetur: ſic enim explicat Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 4. n. 1. definitionem metus, in qua petitur, ut inſtans ſit periculum. Nam quæ valde remota ſunt, (inquit) non timentur. Imo crediderim, quamvis regulariter ad metum juſtum exigatur malum quod timetur, eſſe jamjam impendens: quia multis viis occurri poteſt periculis futuris, longe diſtantibus: verum ſi certum eſſet illi malo gravi multo poſt tempore probabiliter eventuro, non poſſe ſubveniri niſi præſentem contractum ineundo, judicandum eſſe metum gravem.

17 2. Infertur, juſtam & probabilem metus ſuſpicionem haberi pro metu, & ſic ſatis eſſe ad reſcindendum actum. Per l. Noviſſime, ſi. quod falſo tutore, ibi, quid enim ſi metu compulſus, aut metuens compelleretur? Sic Bart. l. 2. lectur. 2. nu. un. verſ. Debetis ſcire, C. quod met. cauſ. Bald. l. Interpoſitas, ad ſi. C. de tranſact. Alex. conſ. 99. n. 6. vol. 3. Pariſius conſ. 60. nu. 15. vol. 4. Romanus l. ſi ob turpem n. 10. C. de condict. ob turpem cauſ. Hoſtienſ. c. Cum dilectus, de his quæ vi, ſuper verb. Nec metum mortis & ibi Anchar. num. 7. ſi. Rebuf. t. 2. conſtit. Gallic. 1. de reſciſſione contractuum, a un. gl. 22. nu. 6. Alex. Tartagnus inter conſilia matr. Zileti, conſ. 21. nu. 5. Sylv. verb. Metus, qu. 1. Villalobos in comm. opin. l. M. verb. Metus, nu. 70. Anton. Gabr. tom. 2. commun. in mea edit. l. 11. verb. Metus, f. 107. col. 1. Burgos de Paz, conſ. 25. n. 73. Padilla l. Cum proponas, la 1. n. 3. C. de tranſact. Deciſio Pedemont. 170. n. 3. Joan. Garcia de nobilit. gl. 17. nu. 14. Maſcard. de probat. concl. 1055. nu. 26.

18 3. Infertur timorem inferendæ violentiæ, licet illata non ſit, vitiare electionem. Sic gl. c. Bonæ, el. 1. verb. Metuebant, de electione, quam omnes ibi ſequuntur Alex. conſ. 98. vol. 3. n. 5. Rebuff. alleg. n. præced. Gutier. conſ. 16. n. 11.

19 III. Conditio ad metum gravem requiſita, eſt, ut metum incutiens, potens ſit minas exeutioni mandare: non enim eſt viri conſtantis, ac fortis quibuſcumque terreri minis, ut viri inermis, vel ſi minans ſit ſenex, vel debilis, & alter juvenis, ac fortis, l. Famoſi ff. ad legem Jul. majeſt. ibi, nam & perſona ſpectanda eſt, an potuerit facere, gl. l. Metum, ver. jactationibus, C. de his, quæ vi, Anch. c. Ad audientiam, n. 2. de his quæ vi, Bald. l. Metum. 9. n. 1. C. de his quæ vi. & ibi Alex. nu. 2. Salic. ibi, num. 2. Sebaſt. de Medicis de caſibus fortuitis, q. 7. n. 67. habetur t. 7. tr. noviorum, Flam. de reſign. benef. l. 13. q. 1. nu. 115. Ant. Cuc. l. 5. inſtit. maj. t. 12. nu. 155. Rolandus a Valle conſ. 83. num. 28. vol. 2. Angel Metus, num. 1. Sotus l. 7. de juſt. quæſt. 2. art. 1. ad 2. v. Haud. tamen hic pacabitur, Aragon. 2. 2. quæſt. 88. art. 3. §. Pro explicatione hujus difficultatis advertendum eſt, f. 988. Carbon. reſtit. q. 46. fundam. 3. & omnes. Non tamen ita hoc accipiendum eſt, ut minans vere de facto poſſit implere, ſed ut timens rationabiliter exiſtimet poſſe eum implere, quamvis de facto vere non poſſit ob aliquam rationem timenti incognitam. Quod egregie ſignificavit D. Bonav. 4. d. 29. q. 1. n. 5. & Ricard. eadem d. a. 1. q. 1. Sic enim uterque explicat hanc conditionem, quando intentantur mala ab eo, quem vir conſtans præſumit probabiliter velle, & poſſe ea inferre. Quare perpendenda eſt qualitas, & potentia metum incutientis, illumque paſſi: ut ſi ille erat vir potens, & hic infirmior, &c. ut bene docent Berojus c. 1. n. 20. de offic. deleg. Sotus, Aragon, & Carbon. n. præced. allegati, Enriq. l. 11. de matr. c. 9. n. 3.

20 IV. Conditio eſt, ut metum incutiens, minas exequi ſolitus ſit, ſecus ſi homo ſit facile minas jactans, faciliuſque ira depoſita nihil aut parum executioni mandans: conſtat ex l. unic. C. ſi quis, imperatori, ibi, ex perſonis hominum dicta penſemus: Et l. Famoſi, ff. ad leg. Jul. maj. ibi, nam & perſona ſpectanda eſt, an potuerit facere, & an ante quid fecerit. Et melius l. Metum, C. de his quæ vi, ibi, metus non jactationibus tantum, vel conteſtationibus, ſed atrocitate facti probari convenit. Et docent ibi Bart. num. 1. Paul. nu. un. Alex. nu. 2. Bard. num. 1. Salic. nu. 2. Franc. Aret. ibi initio ſuper verſ. In textu, ibi, jactationibus, Abb. cap. 1. n. 3. de offic. deleg. & c. cauſam matr. nu. 5. eod. t. 5. & c. Cum dilectus, num. 8. de his quæ vi, & c. ſi. num. 4. de appel. Anchar. c. Ad audientiam, num. 2. de his quæ vi, Alex. de Nevo c. Conſultationi, n. 12. de ſponſal. & c. fin. 17. de appell. Felin. c. 1. de offic. deleg. num. 2. ubi Decius num. 12. idem Decius c. Cauſam matr. nu. 21. eod. t. Crotus l. Stipulatio hoc modo concept. nu. 77. ff. de verb. oblig. Vitalis de Cambanis tr. de clauſulis, clauſ. non vi. t. de metu uxoris, nu. 2. habetur t. 18. tr. noviorum, Jacobinus l. Interpoſitas, nu. 10. C. de tranſ. Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 6. n. 4. Tiberius Dacianus conſil. 18. n. 127. v. 1. Burſatus conſ. 72. n. 33. & 42. vol. 1. Flamin. de reſign. benef. l. 13. q. 1. n. 174. Maſcard. de probat. concl. 1055. nu. 18. & 19. Ant. Gab. 2. commun. in mea edit. l. 11. verb. Metus, f. 106. Et ex Theologis Enriq. l. 11. de matr. c. 9. n. 3. Lud. Lop. 2. p. inſtr. de matr. c. 40. f. 1071. §. Igitur pro reſolutione. Quando autem ſimul concurrit metus reverentialis, utrum hæc conditio deſideretur ad metum cadentem in virum conſtantem, dicemus diſp. 6. n. 20. & ſeqq.

Nec ſufficit, ut ſolitus ſit minas exequi, ſed oportet ſolitum 21
eſſe exequi in eodem genere mali comminati. Per doctrinam Bal. l. ſi. ad ſi. ff. de hæred. inſt. ubi ait ex diſſimilibus non ſumi conjecturam. Sic Cynus, quem refert, & ſequitur Alex. l. Metum, n. 2. C. de his quæ vi. Ceterum crediderim hoc intelligi, niſi ſolitus ſit minas exequi, licet non in eodem genere mali, at ſaltem in alio ita atroci, ut ſufficiens ſit ad incutiendum metum cadentem in virum conſtantem. Quia eadem videtur ratio.

Similiter non ſufficit, ut minans ſemel male tractarit, Quia 22
unicus hominis actus non probat conſuetudinem, ſed exigitur ſaltem binus: Ut docet Archid. c. Illud, in fine, dict. 12. & colligitur ex l. Nemo 3. C. de Epiſcop. aud. fin. Sic tenent Bart. l. de pupillo, § Si quis ipſi, num. 15. ff. de operis nov. nunciat. Ant. c. ſin. n. 8. de appell. ubi Abb. n. 4. Alex. de Nevo, n. 19. Immola n. 8. Francus n. 6. Decius n. 22. Conſtant. Rogerius tr. de poteſt. §. Quarto principaliter pollicitus ſum, n. 1. habetur t. 17. tr. Novior. Hoc tamen intelligitur, quando ſemel male tractavit alios, ſecus ſi ipſummet contrahentem. Sic Alex. de Nevo, & Decius ibi. Nec ſatis eſſet probare in uno officio male tractaſſe, niſi probetur in eo quod tunc obit. Sic Bart. n. 16. Ant. Alex. de Nevo, Immol. proxime citati: & in ſimili Padilla l. Interpoſitas, n. 20. C. de tranſact. ubi ait non ſatis eſſe ad reſcindendum contractum initum a ſecunda uxore, ob viri reverentiam, quod priorem hac occaſione male tractarit: per l. 3. §. Nunc videamus, verſ. Quæri poteſt, ff. de ſuſp. tutor. Quæ tamen intelligerem, niſi inde attenta judicis & mariti conditione, probabiliſſima conjectura ſumi poſſet: fore ut idem nunc faciat, Quia ſatis eſt probabilis ſuſpicio metus incutiendi: ut dixi nu. 17.

Quid autem in dubio, an ſolitus ſit minas exequi, dicemus diſp. 6. num. 22.

Ultima conditio eſt, ne poſſit timens facile occurrere malis, 23
quæ timentur: ſi enim poſſet alia ratione facile occurrere malis, quæ timentur, Ut implorando alicujus auxilium, conſulendo ſuperiorem, &c. non eſſet timor cadens in virum conſtantem. Inconſtantis enim eſt, & timidi, metuere ea mala, quæ facili negotio vitare poteſt: & immerito ſibi perſuadet illud malum eventurum. Prob. etiam argumento textus c. ſi. de elect. ibi, tempus ſtatutum a canone currit, ex quo in mora fuerit licentiam hujuſmodi poſtulandi: ergo ſimiliter imputatur ei, qui facile potuerit vitare malum, ſi timore illius aliquid egit: Sic Ang. verb. Metus, n. 5. Sylv. ibi, q. 1. Ant. Cuc. l. 5. inſt. maj. t. 12. nu. 155. Et circa excommunicationem docent multi, ut videbimus diſp. 5. n. 18.

DISPUTATIO II.

An metus viri conſtantis neceſſario petat eligi minus malum ad vitandum majus? vel poſſit eſſe talis, licet ob illum eligatur majus malum ad vitandum minus; ut ſi timore mortis eligat quis fornicationem, vel mendacium veniale?

SUMMARIUM.

Refertur opinio affirmans requiri electionem minoris mali, n. 1. & an ſit timor viri conſtantis, ſi culpa venialis eligatur ad vitandum grave damnum temporale, nu. 2.

Opinio auctoris, non requiri electionem minoris mali, nu. 3. & ſolvuntur argumenta, nu. 4.

Duplex eſt ſent. I. ait exigi, ut timens eligat minus ma- 1
lum: quare non cadere in virum conſtantem, quoties timore cogitur pejus malum eligere. Prob. 1. ex l. Metum, la. 1. ff. de eo. quod met. caut. ibi, metum accipiendum Labeo dicit non quemlibet, ſed majoris mali. 2. quia in hoc diſtat vir conſtans ab inconſtanti, quod ille ſemper ſequitur rectæ rationis dictamen, quod minus malum ſubeundum dictat, ad vitandum majus: ergo quoties præfert minus malum, inconſtans eſt, nec ducitur timore cadente in virum conſtantem. Hanc tenet D. Th. 4. d. 29. q. un. a. 2. corp. D. Bonav. ibi, q. 1. ſi. Scot. q. un. §. De primo contradictio eſt, & §. Hic dicitur, verſ. Idem etiam poſſe probari, Duran. q. 2. nu. 4. Ricar. a. 1. q. 1. ad 2. Palud. q. un. a. 2. concl. 2. n. 13. Gabr. 3. d. 39. q. 1. a. 1. ad ſi. verſ. Juramentum incautum, & a. 2. concl. 8. Victoria ſum. de matr. nu. 268. Sotus 4. d. 29. q. 1. a. 2. paulo poſt princ. verſ. Rurſus adnotandum eſt, Palac. 4. d. 29. diſp. 1. f. 655. verſ. Utraque, Veracr. 1. p. ſpec. a. 8. paulo poſt princ. Bart. a Ledeſ. de matr. dub. 23. init. Manuel. 1. to. ſum. 2. edit. c. 231. n. 3. Vivald. d. Candel. 1. p. de matr. n. 59. Et ex Juriſperitis, Abb. c. Sacris, n. 5. de his quæ vi. Fort. de ult. ſi illatione 22. n. 471. & ſeq. Syl. ver. Metus, q. 1. Tab. verb. Impedimentum, imp. 9. q. 1. n. 2. Turrec. 31. q. 2. in ſu. nu. 6. & 7. Cov. 3. decr. 2. p. c. 3. §. 4. num. 1. Penna directorio inquiſitorum. 2. comm. 65. q. 41. de blaſphemis, n. 8. Seraphinus de privil. jur. priv. 110. nu. 12. Gutier. conſ. 16. n. 2. Ugolin. de cenſuris, tab. 2. c. 24. a. te §. 1. fin. Et quamvis aliqui velint explicare hos DD. ut intelligant hanc conditionem eligendi minus malum, requiri ut metus a culpa excuſet, non tamen ut ſufficiens ſit ad contractus reſcindendos.

Sed hæc expoſitio contra eorum mentem manifeſta eſt: nam de metu ad reſcindendum contractum, & matrimonium ſermonem faciunt: & jacto fundamento, requiri ad rationem metus viri conſtantis, eligi minus malum: ſtatim nulla mentione facta alterius metus ſtatuunt, metum gravem annullare matrimonium. Et expreſſe docent, quando minus malum eligitur, non eſſe metum cadentem in virum conſtantem, & ob id non annullare matr. Palud. 4. d. 29. quæſt. 1. ar. 4. concl. 3. num. 25. Sotus quamvis dubius 4. d. 29. q. 1. ar. 3. ad fin. verſ. In contrarium autem, Cov. 4. decr. 1. p. c. 4. §. 1. n. 11. Barth. a Ledeſ. dub. 23. de matr. ad fin. Idemque colligitur ex DD. quos diſp. 18. referam, dicentibus matrim. metu contractum, metuque conſummatum eſſe validum: cum tamen per copulam non extortam metu gravi ratificetur: ut ibi dicemus, & ita cenſent illum metum non cadere in virum conſtantem, & proinde ratificare matrimonium, ne cogat ad fornicationem, quæ eſt majus malum quocumque malo pœnæ.

2 Quamvis hi DD. conveniant in hanc ſentent. diſcrepant tamen, an quæcumque minoris mali electio efficiat, ut metus non cadat in virum conſtantem? Aliqui enim id temperant, quando illud malum electum eſt culpa lethalis: quia culpa venialis non opponitur virtuti conſtantiæ, & poteſt homo conſtans ſuccumbere metui ad committendum veniale. Quia conſtantia non amittitur uno actu præſertim levi, & veniali. Ita Sotus 4. d. 29. q. 1. ar. 2. ante 1. concl. verſ. Sed tamen ex parte ſubjecti, Enr. l. 11. de matr. c. 9. n. 3. Verius tamen eſt tenendo prædictam ſent. idem eſſe de peccato veniali: quamvis enim conſtantiæ virtutem non amittat ſuccumbens tali metui, at in quantum ſuccumbit tali metui, non eſt conſtans, ſed inconſtanter agit. Item quia negari nequit hunc eligere majus malum, ad vitandum minus: cum minimum veniale malitia excedat quodcumque pœnæ malum. Unde pro tuenda vita propria, vel alterius mentiendum non eſſe docet Aug. cujus dictum refertur cap. Ne quis c. 2. q. 2. Atque ita D. Th. & D. Bonav. Ricard. Paludan. Gabr. num. 2. concl. 8. Victor. Tab. Fortun. Silv. Verac. Guttier. Seraph. Man. num. 1. relati, generaliter, & indiſtincte docent exigi electionem minoris mali. Et expreſſe D. Th. ibi in ſolut. ad 4. ait non cogi virum conſtantem ob quemcumque metum mentiri. Et tenent expreſſe Scotus ead. q. un. §. Hic dicitur, verb. Idem etiam poſſet probari, Panor. c. Sacris, n. 5. de his quæ vi, Turrec. Penna, Candelabrum, Barth. a Led. n. 1. alleg. Cov. 4. decre. 2. p. c. 3. §. 4. n. 3. Philiar. de offic. ſacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 8. §. Nec ſufficit Lud. Lop. 2. 2. Inſtr. novi. materia de matr. c. 40. paulo princ. §. Præterea 2. quæritur. Et hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

3 II. Sententia (cui magis adhæreo) ait, requiri electionem minoris mali, ut ex parte ſubjecti dicatur metus cadens in virum conſtantem, ideſt, ad hunc effectum, ut timens conſtanter agat, culpæque immunis ſit: verum id non requirit, ut dicatur cadere in conſtantem virum quoad reſciſſionem matrimonii, & ceterorum contractuum, ſed ad id ſatis eſſe, ſi timor ipſe ex parte objecti ſit cadens in virum conſtantem: quia eſt timor mali gravis, quod ex ſe virum conſtantem movere poterat. Prob. quia jura ideo annullant matrimonium, & concedunt reſciſſionem ceterorum contractuum, quando metus gravis intercedit, quia is metus liberum conſenſum impedit, & injuriam irrogat: ut conſtat ex cap. Cum locum, de ſponſ. ibi, cum locum non habeat conſenſus, ubi metus intercedit, matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur: & l. Continet 3. ff. de eo quod met. cau. ibi & ſi quis vi compulſus aliquid fecit, per hoc edictum reſtituitur, ſed vim accipimus atrocem & eam quæ adverſus bonos mores fiat, ubi gl. Atrocem, inquit, in qua ineſt dolus: ſed quando incutitur timor mali gravis, non minus impedit libertatem conſenſus, nec minus injurioſus eſt, ſive cogat eligere minus, ſive majus malum: ergo utroque modo ſufficiet ad contractus reſciſſionem. Et confir. quia dum Eccleſia irritat matr. metu gravi contractum, non attendit ad privatum contrahentis bonum, ſed tantum ne faveat injurioſe conſenſum extorquenti, & ne matr. coacta infelices exitus habeant: ut conſtat ex d. c. Cum locum. Quia ratio æque locum habet, ſive ob eum metum eligatur majus, ſive minus malum. Hanc ſent. dicit non eſſe ratione deſtitutam, & ſe olim cum magiſtris eam tenuiſſe Sotus 4. d. 29. q. 1. ar. 3. ad ſi. verſ. In contrarium autem Eamdem tenent Nav. ſum. Lat. c. 22. n. 51. verſ. Octavum, & nonum Ledeſ. 2. p. 4. q. 49. ar. 3. fin. Menoch. de preſump. l. 3. præſu. 4. num. 33. Philia. de offi. ſacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 8. ad ſi. Petr. de Led. de matr. q. 47. a. 2. ſi. & a. 3. in ſolut. ad 4. ante ult. difficultatem, Enr. l. 11. de mat. c. 9. n. 3. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. de matr. c. 40. f. 1070. col. 1. Et qui dicunt matr. metu contractum, eodemque conſummatum, eſſe irritum (quos diſp. 18. referam) tenentur idem dicere, alias timor ille non caderet in virum conſtantem, & ita ſpontanea eſſet copula ratificaretque matrimonium.

4 Ad 1. arg. contrariæ ſent. dic cum gloſſa ibi, initio, ſumi comparativum pro poſitivo, & ita ſenſum eſſe, timorem majoris mali, ideſt, magni. Ad 2. dic concludere non eſſe metum cadentem in virum conſtantem, ex parte ſubjecti patientis metum, cum conſtanter agat admittens culpam ob eum timorem: eſſe tamen cadentem ex parte objecti, quod eſt malum grave, & ita conſiderari metum per jura, ad contractuum reſciſſionem.

DISPUTATIO III.

An metus viri conſtantis dicatur talis abſolute; ſecluſo ordine ad patientem metum, & ita in omnibus æqualis debeat eſſe? Vel potius dicatur, reſpective, conſiderata qualitate metum patientis?

SUMMARIUM.

Refertur opinio dicens ad annullandum matr. non attendi ſubjectum patiens metum, n. 1. Ubi an feminæ conſtantiores ſint ad perferenda tormenta.

Talis metus dicitur reſpectu patientis illum, unde minor metus ſatis eſt in femina, 2.

Ad irritandum matrimonium feminæ, ſatis eſt metus cadens in conſtantem feminam, 3.

An inter ipſos viros conſideranda ſit ætas, & innata animi fortitudo, ut minor metus dicatur cadens in virum conſtantem in uno quam in alio viro, 4.

An minor metus ſufficiens in femina, & in puſillanimi, intelligatur non ex parte mali, quod timetur, ſed ex parte probabilitatis mali eventuri, 5.

Berojus c. 1. n. 13. & 16. de offic. deleg. ait in contractu ma- 1
trimonii ad eum annullandum, non conſiderari qualitatem patientis metum, nec ſat eſſe metum cadentem in feminam conſtantem: ſecus in aliis contractibus: hoc enim eſt ſpeciale favore matrimonii ob animæ periculum, & ne contingat matr. legitime contractum ſeparari. Prob. ex cap. Conſultationi, de ſponſ. ubi ſermo habetur de feminæ matr. ponderat textus metum cadentem in virum conſtantem: & nunquam nomine viri femina comprehenditur, & Hyppolit. l. 1. n. 73. ff. de q. & rub. C. de probationib. num. 4. 17 videtur ſentire non minorem metum ſufficere in femina: contendit enim probare majorem in ea conſtantia, majuſque robur ad cruciatus perferendos reperiri: atque ideo quoties vir, & femina torqueri debent, a viro tanquam a debiliori, initium ſumendum eſſe: quem ſequuntur alii quos refert Tiraq. l. 9. connub. gl. 1. n. 134. per multa exempla, quæ ibi refert nu. 135. & teſtimonia conſtantiæ mulierum in tormentis ſuſtinendis. Bene tamen reprobat idem Tiraq. n. 136. cum aliis, Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 4. n. 10. & 11. & Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 12. n. 162. quamvis enim aliquæ feminæ inveniantur conſtantiores, at quia frequenter evenit, quod leges conſiderant, l. Nam ad ea ff. de legibus, ſunt ſuapte natura timidiores ac imbecilliores.

Sit ergo concluſio, Tanquam certum, ſtatuendum eſt, 2
metum cadentem in virum conſtantem, dici reſpective, & proinde metum, qui reſpectu unius eſt cadens in virum conſtantem, non eſſe talem reſpectu alterius, qui fortior, & robuſtior eſt: unde minor metus deſideratur in femina, quam in viro: argumentum textus c. Indignantur, 32. q. 6. ibi, cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere feminas. Et c. Sicut, el 1. de homicidio, in princ. ibi, noſti quod in exceſſibus, non ſolum quantitas delicti, ſed ætas ſexus delinquentium ſunt attendenda. Et ratio eſt, quia licet femina habeat virtutem conſtantiæ, propter conſtitutionem tamen corporis illi ſexui naturalem, minus poteſt reſiſtere metui quam vir: ergo minor metus ſufficiet, ut opprimat, cogatque feminam conſtantem ſuccumbere, quam virum eadem conſtantia præditum. Item, quia feminæ ſuapte natura ſunt valde imbecilles, ut late Tiraq. l. 1. connub. n. 71. & ſeq. Hanc ſentent. tenent Gloſſ. c. Cum locum de ſponſ. verb Metu, ubi Ant. nu. 12. Abb. num. 6. Alex. de Nevo, n. 23. Calde. conſ. 1. num. 2 t. de his quæ vi. Hoſt. ſum. t. de matrim. §. penult. num. 27. & c. veniens el 2. ſi. de ſponſ. Cardin. cap. Cum dilectus, num. 3. de his quæ vi. Immola cap. 2. ſi eod. t. Præpoſit. cap. Conſultationi, ſi. 3. de ſpon. Fel. conſ. 14. num. 3. & c. 2. de jurej. num. 3. Decius c. Cauſam matrimonii, n. 7. de offi. deleg. Franc. Areti. conſ. 24. num. 7. Barbatius conſi. 60. n. 4. vol. 1. Ruinus conſil. 60. num. 18. vol. 3. & conſil. 170. num. 16. vol. 1. Albert. Brunus inter conſilia feudalia, conſil. 82. n. 9. Nevizan conſil. 46. num. 3. Hyppol. ſing. 578. incipienti, Metus in feminam conſtantem, Tir. de legibus connub. l. 9. gl. 1. n. 160. Boerius dec. 100. n. 2. Roſel. verb. Impedimentum, Imped. 10. n. 2. Ang. matr. 3. imped. 12. init. Socinus ſenio. conſil. 273. num. 5. vol. 2. Tabul. verb. Impedimentum, imped. 9. q. 1. num. 2. ad ſi. Montalvus l. 13. ad ſi. t. 2. p. 4. ubi Greg. Lop. verb. Todo, Nav. ſum. cap. 22. num. 51. Cov. 4. decret. 2. p. cap. 3. §. 4. num. 9. Suarez allegat. 24. num. 5. Molina l. 2. de primog. cap. 3. num. 10. Sarmiento 2. ſelect. cap. 11. num. 1. Martinus de Gratis inter conſilia matr. Zileti, conſ. 15. num. 26. Ant. Cucus l. 5. init. maj. t. 12. num. 162. Menoch. de arbit. l. 2. centuria 2. caſu 135. num. 4. & 5. Matienzo dialogo relatorum, 3. p. c. 20. num. 19. Mantica de conject. ult. vol. l. 2. t. 7. num. 7. Seraphinus de privil. juram. privil. 110. num. 14. Burſatus conſ. 62. num. 31. vol. 1. Joan. Garcia de nobil. gl. 17. num. 2. 3. & 20. Gut. conſ. 16. num. 3. & 13. Flami. de reſig. benef. l. 13. qu. 1. num. 61. Ant. Gabr. t. 2. comm. in mea ed. l. 11. verb. Metus f. 106. col. 1. Et ex Theologis, Sotus l. 7. de juſt. q. 2. ar. 1. ad 2. v. Haud tamen hic pacabitur, Veracruz 1. p. ſpec. ar. 8. poſt 7. concl. §. Timor major, Palacios 4. diſt. 26. f. 663. verſ. Sed obſtrepit, Enr. l. 11. de matr. c. 9. num. 3. in comm. lit. D. & n. 4. Philiar. de offic. ſacer. t. 1. p. 2. l. 2. cap. 8. ad ſi. Manuel 1. t. ſum. 2. edit.

c. 131.

c. 131. concl. 3. n. 3. Barth. a Led. dub. 23. de matr. fundam. 3. Salon 2. 2. q. 62. ar. 2. contr. 5. in confirm. 3. concluſ. Arago. 2. 2. q. 88. a. 3. §. Pro explicatione hujus diffic. advertendum eſt f. 988. Carbon. de reſtit. q. 46. fundamento 3. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi, mater. de matr. c. 40. f. 1070. col. 1.

3 Hinc infertur, dum textus c. Conſultationi, de ſponſalibus, ponderat ad irritandum feminæ matrimonium, initum eſſe metu cadenti in virum conſtantem: ea verba magis proverbii loco pro eo metu, qui non levis, & vanus ſit, accipienda eſſe; quam ut verbis inhærendum ſit: unde ſufficiet metus, qui cadat in feminam conſtantem, quare penſandum eſt ad annullandum matrimonium, aut alios contractus a femina metu celebratos, quid femina conſtans tunc metueret, penſata naturali feminarum conſtantia, quibus a natura ineſt minor animi vigor, corporiſque fortitudo. Sic docent Ant. c. Conſultationi, n. 4. de ſponſ. Panor. ibi, n. 4. Præpoſ. n. 5. Alex. de Nevo n. 7. Decius c. Cauſam matr. n. 7. de offic. deleg. Feli. conſ. 14. n. 2. Boerius dec. 100. num. 2. Franc. Aretinus conſ. 24. num. 7. Barbatius conſil. 60. n. 4. v. 1. Ruinus conſ. 60. num. 18. vol. 3. Montalvus l. 15. ad fi. t. 2. p. 4. Roſella verb. Impedimentum, imped. 10. n. 2. Ang. matrimonium 3. imped. 12. init. Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 4. num. 9. Suar. alleg. 24. n. 5. Ant. Gabr. t. 2. comm. in mea edit. l. 11. Metus, f. 106. col. 1. Joan. Garcia de nobil. gl. 17. n. 3. Mantica de conject. ult. vol. l. 2. t. 2. nu. 7. Sarmien. l. 2. Selectarum, c. 11. n. 1.

4 Idem dicendum eſt, eadem ratione, non tantum in femina reſpectu viri, ſed etiam inter ipſos viros: ut enim diſcernatur, quis ſit metus cadens in virum conſtantem, attendenda eſt ætas, ut ſi ſenex, vel puer ſit, cui metus incutitur: ſimiliter ejus fortitudo, innataque animi magnitudo, aut parvitas, & fragilitas: quare dum dicitur metus cadens in virum conſtantem intelligitur nomine viri, animi robur pro cujuſque conditione. Prob. ex l. 3. de quibus cauſis majores, ibi, metus autem cauſa abeſſe videtur, qui juſto timore mortis, vel cruciatu corporis conterritus, & hoc ex affectu ejus intelligitur, juncta expoſitione Ricardi de Malumbre, quem refert & ſequitur Alberic. ibi n. 1. ubi inquit, ex affectu, ideſt ex animo ejus, cui metus infertur: nam major metus exigitur in milite, & conſtante, quam in paſillanimi, & vili. Et ex l. Plenum, §. Equitis, ff. de uſu & habitu, ex qua habetur, verba teſtatoris debere intelligi ſecundum conditionem perſonæ, ad quam referuntur. Quod late proſequitur alios referens, Mantica de conject. ult. vol. 6. t. 11. n. 1. & 2. & de privilegiis late interpretanda eſſe ſecundum qualitatem perſonæ, cui conceduntur, ut privilegium conceſſum Epiſcopo ad tempore interdicti celebrandum intelligitur cum pontificalibus: late Felin. c. Cauſa quæ, de reſcr. num. 17. verſ. Quinta declaratio: ergo dum jus loquitur de metu cadenti in virum conſtantem, intelligi debet ſecundum qualitatem perſonæ metum paſſæ. Et ita docent Decius c. fi. de appel. num. 3. & 4. cap. Cauſa matr. n. 7. de offic. deleg. & de reg. In omnibus cauſis, 39. ff. de reg. jur. n. 3. Jaſ. conſ. 133. n. 18. vol. 4. Immola c. Cum dilectus, n. 9. de his quæ vi, Barbat. conſ. 60. n. 4. vol. 1. Nav. ſum. Lat. c. 22. n. 51. verſ. Sextum, Soto l. 7. de juſt. q. 2. ar. 1. ad 2. verſ. Haud. tamen. Ant. Cuc. l. 5. inſt. maj. t. 12. num. 162. Menoch. de arbit. l. 2. centur. 2. caſu 135. num. 5. Joan. Garcia de nobil. gl. 17. nu. 3. Flam. de reſign. benef. l. 13. q. 1. num. 62. Guttier. conſ. 16. nu. 13. Enri. l. 11. de matr. cap. 9. num. 4. Philiar. de offic. ſacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 8. ad fin. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi materia de matr. c. 40. f. 170. col. 1. Corona Confeſſor. 4. p. c. 8. de matr. t. de imped. violentiæ, nu. 29. §. Sed difficultas eſt. Salon. 2. 2. qu. 62. a. 2. contr. 5. in confir. 3. concl. Carbon. de reſtit. q. 46. fundamento 3.

5 Tandem omnia dicta, ut, ſcilicet minor metus deſideretur in femina, & in puſillanime, intelligit Palacios 4. d. 29. diſp. 1. f. 663. verſ. Sed obſtrepit forſan, non ut ſit differentia in gravitate mali, quod eſt objectum timoris inter virum & feminam, ſed in modo & timoris probabilitate: itaque eadem mali gravitas debet eſſe in utroque, ut ejus timor juſtus ſit: at minor probabilitas mali eventuri ſat erit in femina, & in puſillanimi, cum hi facilius terreantur. Sed toto cęlo aberrat: quia ſicut minor mali probabilitas facilius terret feminas, ita etiam minus malum comminatum: ergo ſicut ea minor probabilitas ſufficit ad inferendum juſtum metum, ita etiam ſufficiet minoris mali comminati timor, Pro hac ſent. ſunt univerſi DD. citati n. 2. qui generaliter, & indiſtincte docent, minorem metum in femina deſiderari. Et tenent expreſſe Menoch. l. 2. de arb. cent. 2. caſu 135. n. 5. Lud. Lop. 2. p. inſtr. novi, materia de matr. c. 40. f. 1070. col. 1. Ad textum pro contraria ſentent. conſtat ex dictis n. 3.

DISPUTATIO IV.

An mala metum cadentem in virum conſtantem incutientia timeri debent, in propria timentis perſona, vel ſatis ſit in perſona conſanguineorum, vel affinium?

SUMMARIUM.

Sufficit, ſi timeatur malum in perſona filii, ut reſpectu patris, dicatur metus viri conſtantis, n. 1.
Quando timetur in aliis conſanguineis, explicatur in quo verſetur difficultas, n. 2. & ibi, quando metus viri conſtantis non movet ad contrahendum, non irritat.
Satis eſt, ſi alter conjux in altero timeat id malum, 3.
De aliis conſanguineis, refertur opinio ſolum extendens ad conſanguineos in primo gradu: & alia nec ad hos extendens, 4.
Et talis timor, quando filii timent id malum in parentibus, n. 5. Et idem in aſcendentibus, n. 6. Et idem in fratribus, n. 7. Idem in conſanguineis ſuis, n. 8.
Idem in conjunctiſſimis arctiſſima amicitia, n. 9. Et quid in domeſticis, n. 10. Idem in affinibus, n. 11.
Ad quotum gradum extendatur hæc conſanguinitas, & affinitas ut metus mali in conſanguineis, & affinibus cenſeatur cadens in virum conſtantem, reſpectu conſanguinei, vel affinis, n. 12. Et ſolvuntur argum. n. 13.

Certum quidem eſt, non requiri, ut timeantur hæc mala in propria perſona, ſed ſatis eſſe ſi timeantur in perſona filiorum. Habetur expreſſe l. Iſti, quidem 8. fine, de eo quod metus cauſa, ibi hæc, quæ, diximus ad edictum pertinere, nihil intereſt in ſe quis veritus ſit, an liberis ſuis, cum pro affectu magis in liberis parentes terreantur. 1

Dubium autem eſt de reliquis conſanguineis, nam ea l. Iſti quidem, limitate loquitur in filiis: & ratio, quam aſſignat, in ſolis filiis locum habet: cum filii non ita diligant parentes ac ipſi parentes filios: ut optime gl. fi d. l. Iſti quidem per l. Nam & ſi in pri. ff. de inoff. teſt. & l. Scripto, fine, ff. unde liberi, 2. quia ſæpe parum curat metum paſſos de conſanguineis. Maxime advertendum eſſe cenſeo, hic nos non diſputare in individuo, ac ſingulari caſu, an metus gravis mali comminati meis conſanguineis, ut ego contractum ineam, ſit cadens in virum conſtantem, ac proinde ſufficiens ſit ad contractus reſciſſionem: nam poteſt eſſe, ut talis non ſit, licet meis parentibus illud malum comminatum ſit. Ut ſi eo metu non trahor ad contrahendum, ſed alias libere contraherem, ſecluſo eo metu. Ut bene docent In. c. Cum locum, n. 1. de ſponſ. Ant. ibi n. 10. Jo: And. n. 2. Alex. de Nevo n. 12. Anch. n. 10. Herio n. 3. nam in ſingulari caſu pendet ex judicis arbitrio attentis ſingularibus circumſtantiis: ſicut & metus mortis, quamvis ex ſe cadat in virum conſtantem poteſt eſſe in ſingulari caſu, ut non cadat. Ut quia minans non eſt potens, aut ſolitus exequi, vel non irritet contractum: quia metum patiens minime eo metu ducitur: ſed dubium conſiſtit ex natura rei, & ex parte objecti, an ſicut metus mortis, vel alterius mali gravis mihi comminati, ut contraham, eſt ex natura ſua, ex parte objecti cadens in virum conſtantem, & ſufficiens ad reſcindendum contractum, niſi in aliquo ſingulari caſu circumſtantiæ occurrentes aliud ſuadeant, ſic quando idem malum comminatum eſt non mihi, ſed meis conſanguineis cauſa ſit ex natura rei, viri conſtantis timoris, itaut vir prudens, & conſtans rationabiliter illud timere debeat, & trahi ad contractum ineundum. 2

Dico 1. id extendendum eſſe ad alias perſonas, ultra filios, quare ſi ea mala timeantur in propria uxore, erit metus cadens in virum conſtantem, reſpectu viri. Quia reputantur inferri in perſona viri, cum vir & uxor una caro ſint: Geneſ. 2. fi. & ita cenſet D. Th. 4. d. 29. q. un. ar. 2. ad 2. Altiſiod. l. 4. ſummę Theolog. tr. 9. c. 7. q. 3. Turrecr. 31. q. 1. in ſumma, n. 1. Henr. c. Cum locum, de ſponſ. n. 5. Roſel. verb. Impedimentum imped. 10. n. 2. Ange. matr. 3. imped. 11. fine, & verb. Metus, n. 1. ubi Silv. q. 1. Tabiena verb. Impedimentum, imped. 9. q. 1. n. 2. Albert. Brun. inter conſ. feudalia, conſ. 82. n. 6. Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 12. n. 156. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 7. paulo poſt princ. Sot. 4. d. 29. q. 1. a. 1. verſ. Ejuſmodi autem metum, Palacios ead. d. diſp. 1. verſ. Recenſetur autem, P. Enriq. l. 11. de matr. c. 9. n. 5. Lud. Lop. 2. p. Inſtr. de matr. c. 40. paulo poſt princ. Manu. 1. t. ſum. 2. ad t. c. 231. num. 3. concl. 3. Idem eadem ratione dicendum eſt, ſi uxor timeat ea mala in viro: cum ſint correlativa, & militet eadem ratio, imo fortior, cum feminæ magis piæ, affectibuſque ſubjectæ ſint, minorque metus in ipſis deſideretur. 3

De aliis autem conſanguineis, nihil hi DD. exprimunt. Sed D. Th. dixit, ſi timeatur malum in perſona filiorum, aut uxoris, aut aliorum hujuſmodi: nec expreſſit, quas perſonas intelligeret, per alias hujuſmodi. Eodem modo locuti ſunt Silv. Tabiena, Lud. Lop. n. præced. allegati. Id tamen magis explicuit Ang. verb. Metus, n. 1. dicens, uxoris, aut filiorum, vel ſimilium perſonarum. Et clarius Enriq. l. 11. de matr. c. 9. n. 5. dicens, in filiis, vel uxore, vel conjunctis in primo gradu: quod & reliqui videntur ſentire, ſub aliis hujuſmodi: cum enim filii ſint conjuncti in primo gradu, videntur illis ſimiles in eodem gradu, non autem in ulteriori, propinqui. Imo aliqui (ut refert Hoſtienſ. c. Cum locum de ſponſ. paulo poſt princ.) nolunt id extendere ad metum illatum parentibus, ut filii contrahant. 4

2. Tamen dico idem eſſe dicendum, ſi timor inferatur parentibus, ut filii contrahant, erit enim timor viri conſtantis, reſpectu filiorum. Prob. quia pater, & filius cenſentur una perſona: l. ul. C. de impub. & aliis ſubſtit. & §. Ei qui, inſt. de inut. ſtip. Colligitur etiam ex l. 11. t. 1. l. 5. recop. ibi, mandamos, que ninguno apremie a ninguna doncella, a que ſe caſe contra ſu voluntad, ni aſi miſmo apremie a los padres y madres de las tales: unde colligit Mazienzo ibi gl. 3. n. 1. metum illatum parentibus, cenſeri illatum filiis. Et ita expreſſe tenent Hoſtienſ. c. Cum locum, de ſponſ. paulo poſt princ. & ibi Innoc. n. 1. Ant. num. 10. Jo: And. n. 2. Anchar. 10. Alex. de Nevo n. 2. Henric. n. 3. Prep. n. 10. Francus c. Sciant cuncti, de elect. in 6. n. 2. Bertach. in repertor. lit. M. verb. matrimonium, qua forma contrahatur, verſ. matrimonium contractum ex metu, Ant. Cuc. l. 5. inſt. majo. t. 12. n. 156. Veracruz 1. p. ſpeculi, a. 8. conc. 2. Et pro hac parte ſunt, quos retuli, dicentes, idem eſſe reſpectu conjunctorum in primo gradu, hac eadem diſp. n. 4. 5

3. Dico,

6 3. Dico, idem eſſe dicendum de aſcendentibus: nam timor ipſis illatus reputatur juſtus, reſpectu deſcendentium, quia deſcendentes ipſos habent, venerantur, ac amant, ut parentes. Sic Innoc. Alex. de Nevo, Prop. alleg. n. præc.

7 4. Dico idem eſſe reſpectu fratrum: eſt enim a natura inſitus arctus amor inter fratres. Et amplius probabitur num. ſeq. Sic colligitur ex DD. citatis, n. 4. qui dicunt idem eſſe de conjunctis in primo gradu. Et tenent Præp. d. c. Cum locum, n. 10. Phil. Probus dicto ſeq. allegandus, Ant. Cucus d. t. 12. nu. 156. & a fortiori DD. allegandi num. ſequenti.

8 5. Dico, idem eſſe reſpectu aliorum conſanguineorum. Prob. quia natura ipſa amore conciliat conſanguineos, tanquam unam carnem, ex eodem ſanguine derivatos, unde dixit D. Aug. & habetur c. Non exiſtimemus 13. q. 2. nemo unquam carnem ſuam odio habuit: ergo vir prudens, & conſtans juſte terrebitur ob malum comminatum conſanguineo ſuo. 2. prob. ex c. Sciant cuncti, de electione in 6. ibi, vel conſanguineos eorum: quem textum dicit eſſe notabilem Jaſon l. De pupillo, §. Si quis ipſi, n. 2. ff. de operis novi nunciat. & Feli. c. Eccleſia S. Mariæ, nu. 99. de conſtit. ad probandum metum illatum conſanguineis electoris, ad incutiendum electori timorem, cenſeri illatum electori. 3. Probatur ex cap. Quicumque, de ſent. excom. 6. ibi, in bonis ſuis, vel ſuorum, ubi textus excommunicat eos qui offendunt ferentes cenſuras in ſuis perſonis, vel ſuorum: ubi gl. verb. Suorum, inquit conſanguineorum, vel familiarium: & Anch. n. 2. inquit conſanguineorum, & domeſticorum: Francus num. 3. familiarium, & domeſticorum: idem Domin. ibi n. 5. ubi Archid. ſuper verb. Suorum, ait domeſticorum. 4. Prob. ex Clem. 2. de ſent. excom. ubi excommunicat quomodolibet cogentes clericos: & ajunt ibi gl. verb. Quomodol. Immola ibi n. 12. Bonif. n. 27. D. Ant. 3. p. t. 24. c. 28. Roſel. ver. Abſolutio 1. n. 73. Ang. Excom. 5. caſu 15. init. Tab. Excom. 5. caſu 13. q. 2. n. 3. Silv. Excom. 7. caſu 17. init. n. 51. Nav. ſum. Lat. & Hiſp. c. 27. n. 104. Idem eſſe, ſi conſanguineos clericorum gravant in perſonis, vel in rebus. 5. Prob. ex c. Gemma, de ſponſalibus, ubi textus loquitur de pœna oppoſita per parentes Gemmæ, ſi non impleret ſponſalia, & reiicit illam pœnam, tanquam impedientem matr. libertatem: & tamen DD. (ut dixi lib. 1. diſp. 30. n. 3.) dicunt idem eſſe, ſi ea pœna apponatur per alios contrahentium conſanguineos, vel alios ita cum ipſis amicitia conjunctos, ut veriſimile ſit contrahentes timore ne illi pœnam ſolvant, contracturos: quia tunc etiam impeditur libertas matrimonii. Et l. Hæres meus, §. fi. ff. de cond. & demonſt. reiicitur conditio legato facto parentibus, adjecta, ſi filia non nupſerit: eo quod filia retrahetur a nuptiis, ne parentes jacturam legati faciant, & tamen DD. ut dixi l. 1. diſp. 34. num 10. dicunt idem eſſe, quando legatum fieret conſanguineis puellæ, vel amicis tam arcta familiaritate conjunctis, ut ſimiliter retraheretur: ergo metus illatus conſanguineis contrahentis, cenſetur juſtus, & cogens ad contractum. Et ita tenent Jaſ. inſt. de action. §. Quadruplici n. 55. & ibi Ang. n. 7. Franc. c. Sciant cuncti n. 2. de elect. in 6. & c. un. de his quæ vi, in 6. n. 8. Pariſ. conſ. 5. n. 161. volu. 4. Bald. l. Interpoſitus n. 5. C. de tranſ. verſ. Oppono dicitur hic, & ibi Alex. n. 6. Padilla ibi n. 10. fi. Anch. c. Cum dilect. num. 7. verſ. Secundo quæro, de his quæ vi, Franc. de Platea tr. excom. §. 46. nu. 10. habetur t. 14. tr. noviorum, Philip. Probus addit. ad Joan. Monachum, rubr. de renunc. in 16. n. 18. 19. Rolandus conſ. 2. a n. 62. uſque ad 67. vol. 1. Octavianus deciſio. Pedemont. 179. n. 2. Maſcar. de prob. conc. 1055. n. 25. Ant. Gabr. t. 2. comm. l. 11. verb. Metus, f. 107. col. 1. hi enim omnes indiſtincte dicunt de metu illato conſanguineis, extendente l. Iſti quidem, ff. de eo quod met. cau. quæ loquitur de metu illato filiis, ad alios conſanguineos: & clarius Præpoſ. c. Cum locum, de ſponſ. nu. 11. expreſſe dicit etiam habere locum in tranſverſalibus, & non eſſe matr. defectus libertatis conſenſus, quando fit metu, ne aliquis tranſverſalium patiatur læſionem. Et quædam deciſio Rotæ, quam approbant Padilla ea. l. Interpoſitas n. 10. & Flaminius dicens eſſe communem, de reſign. benef. l. 13. q. 1. n. 1. §. 8. Fel. d. c. Eccleſia S. Mariæ n. 99. ait beneficii reſignationem factam ob metum illatum conſanguineis clerici, eſſe reſcindendam, ac ſi ipſi clerico metus incuteretur. Faciunt etiam DD. quia cum c. fi. de appellat. decernatur juſtum metum incuſſum appellanti, excuſare, ne appellet coram judice a quo: dicunt idem eſſe, ſi metus incutiatur appellantis conſanguineis. Sic docent Ant. eod. fi. n. 8. & ibi Anch. n. 4. Bald. n. 9. Francus n. 7. Immola n. 8. Præpoſ. n. 6. Decius n. 23. Feli. c. Eccl. S. Mariæ, n. 99. de conſt. Barth. d. l. de pupil. §. Si quis ipſi nu. 18. q. 9. & ibi Alex. alios referens n. 23. & ibi Jaſon. n. 12. Conſt. Rogerius tr. de protect. §. Quarto principaliter pollicitus ſum. n. 2. Faciunt pro eadem ſent. Jaſ. eod. §. Si quis, ipſi, n. 13. & l. 1. C. de indiſtinct. viduit. n. 3. ubi Bald. n. 2. Phil. Probus addit. ad Jo. Monachum, c. Sciant cuncti, de electione in 6. n. 3. ubi dicunt, & ex multis probat Jaſ. parem eſſe metum in ſe, vel in ſuis; faciunt etiam Matienzo l. 5. recop. t. 1. rubr. gl. 1. n. 189. & Corona confeſſorum 4 par. c. 8. de matrim. tit. de imped. violentia, n. 29. §. Sed difficultas eſt, ubi dicunt eſſe metum juſtum in ſe, vel in ſuis.

9 Hinc infertur, idem dicendum eſſe, quando malum eſſet comminatum perſonæ arctiſſima amicitia conjunctæ contrahenti. Prob. ex dictis n. præced. in 5. ratione. Item quia amicus eſt alter ego: ut teſtantur Ariſt. l. 9. Eth. c. 4. D. Aug. l. 4. confeſſ. c. 6. & Horat. l. 1. Ode. 3. appellat amicum dimidium animæ amici: & idem Ariſt. 2. Rhetor. c. 4. ait, amicum eſſe animum unum, in corporibus duobus habitantem. Facit pro hac ſent. clare Alex. de Nevo, c. Cum locum, n. 12. de ſponſ. ubi ait eſſe metum cadentem in conſtantem virum ſufficientem ad irritandum matr. ſi inferatur aliis, de quorum perſonis rationabiliter debet timeri, ne offendantur. Quod quidem maxime procedere in arctiſſima amicitia conjunctis, dubitabit nemo.

2. Infertur; idem dicendum eſſe, quando domeſticis alicujus metus infertur, ut ille contrahat. Prob. ex allatis n. 8. in 3. probat. Item ex Clem. 1. de exceſſib. præl. verſ. Servientes, ubi ponderans textus violentiam illatam monachis, refert ſervientibus illis inferri vim. Per quem textum dicit ibi Cardin. princ. n. 4. notab. 13. quem ſequuntur Feli. c. Eccleſia, n. 99. de conſt. & Jaſ. l. 1. n. 4. C. de indicta viduit. injuriam domeſtico occaſione mei illatam, mihi irrogari. Atque ita in caſu c. fi. de appel. in quo metus juſtus excuſat ab appellatione, coram judice a quo, dicunt idem aliqui DD. quando metus incutitur famulis, & colonis terrarum ipſius appellantis. Hi ſunt, Anch. eo. c. fi. n. 4. Bart. Alex. & Fel. n. 8. alleg. & de domeſticis ait Franc. c. un. n. 8. de his quæ vi, in 6. Hoc tamen difficile mihi videtur, & ita id intelligerem, quando inde gravis injuria, quæ merito a viro conſtante timenda eſſet, ſequeretur domino, aut aliud ſimile damnum. 10

6. Dico, ſimiliter eſſe metum cadentem in virum conſtantem, quando is incutitur affinibus. Quia ſunt velut proprii conſanguinei, cum ſint conſanguinei alterius ex conjugibus, & hi ſint una caro. Sic Præp. c. fin. num. 6. de appel. Menoch de arb. l. 2. cent. 2. caſu 135. n. 18. Flam. de reſig. benef. l. 13. q. 1. num. 69. Intelligo tamen hoc, quando affinitas provenit ex matrimonio, ſecus quando ex fornicatione, Quia ex hac nullus amor conciliatur, nec cognoſcunt ſe hujuſmodi affines. 11

Tandem interrogabis, ad quotum gradum extendatur hujuſmodi conſanguinitas, aut affinitas, ut cenſeatur timor juſtus illatus mihi, quando incutitur meo conſanguineo, vel affini, ut ego contraham? Bal. c. fi. n. 9. de appel. tractans in materia timoris excuſantis ab appellatione coram judice a quo, dixit extendi conſanguinitatem uſque ad 7. gradum. Quia naturalis (inquit) affectio hoc facit, ut qui unum de agnatione tangit, totam agnationem tangere videatur. Hoc tamen diſplicet. Quia valde latum eſt, nec naturalis affectio adeo durat. In materia autem recuſationis, ut poſſit recuſari judex ratione conſanguinitatis: quidam extendunt uſque ad 7. gradum, alii uſque ad 10. & alii ulterius, ut poteſt videri in gl. c. Poſtremo, verb. Conſanguineis, de appel. & ibi per ſcribentes. Sed hoc non facit ad rem: Quia (ut teſtatur ibi gl.) modica cauſa repellit judicem, & reddit eum ſuſpectum. Unde exiſtimo dicendum, extendi conſanguinitatem, & affinitatem uſque ad 4. gradum, ſicut ad illum uſque durat ad impediendum matrimonium. Per c. Non debet de conſ. Quia uſque ad illum durat naturalis affectio, & ultra illum jam non reputantur illi conſanguinei, ut graviter lædatur aliquis, ex timore incuſſo conſanguineo ultra illum gradum, niſi eſſet timore rei tangentis, lædentiſque valde honorem, unde toti proſapiæ etiam ultra eum gradum macula ſequeretur: tunc enim jam in propria perſona damnum timeretur. 12

Ad arg. propoſita n. 2. reſp. Ad 1. dico in illa l. explicari filios gratia exempli tantum, quod minime arctat regulam. Ad 2. dico in eo ſingulari caſu non moveri illum timore, & ita non vitiabit actum: & idem eſſet, ſi timor incuteretur ipſimet contrahenti, caſu enim quo libere, & non timore ductus, id faceret, valeret actus: in præſentiarum autem, tantum diſputamus, quando ducitur timore, quis cenſeatur juſtus? 13

DISPUTATIO V.

Quæ ſint mala gravia, & ſufficientia metus cadentis in virum conſtantem?

SUMMARIUM.

Metus qui cadat in virum conſtantem, relinquitur, judicis arbitrio, & quid, in foro conſcientiæ? n. 1.
Hoc arbitrium, an ſit quoad mala hunc timorem incutientia, vel quoad quid, 2.
An attento jure regio Caſtellæ, ſit correctum hoc arbitrium, 3.
Metus mortis, & mutilationis, & gravis cruciatus corporis, graviumque verborum, cadit in virum conſtantem, num. 4.
Similiter metus armorum, licet portans ea deponat, vel iis non utatur, num. 5.
Idem de metu ſervitutis, vel amittendi inſtrumenta, quibus libertas probanda eſt, 6.
Item de metu captivitatis, n. 7. Et gravis exilii, num. 8. & carceris, 9.
Idem de timore amiſſionis ſtatus, n. 10. Et honoris, ac verborum, 11.
Quid de timore ſtupri, in viro, vel femina etiam non virgine, & inhoneſta, n. 12. & ibi, quid de timore perjurii.
Quid de metu infamiæ, referuntur variæ ſententiæ, 13.
Si infamia ſit juris, ut ſi deprehenſo in delicto comminetur quis accuſationem, cadit in virum conſtantem, 14.
Idem ſi infamia eſt facti, cui facile occurri nequit, 15.
Quid de metu excommunicati proponuntur duæ ſententiæ, n. 16. & ſententia auctoris, n. 17. Et quid, ſi facile occurri poterat appellando, &c. n. 18. Solvuntur argumenta, 19.
Quid de amiſſione bonorum, referuntur variæ ſententiæ, 20.
Metus amiſſionis bonorum eſt viri conſtantis, n. 21. Vel majoris partis, 22.

Quid,

Quid, ſi bona hæc modica ſint, n. 23. Et quid, ſi abſque illa majori parte, vita ſuſtentari poſſit, n. 24. Et quid ſi non eſt major pars, ſed eſt notabilis, 25.

Quid, de timore amittendi inſtrumenta totius, vel majoris partis patrimonii, 26.

Quid de timore amittendi magni lucri. Refertur quædam opinio, n. 27. Et ſententia auctoris, n. 28. Ubi quid de metu impediendi aliquem ne ſe opponat beneficio; & explicatur l. finalis, §. Si fœnerator ff. de eo quod metus cauſa.

Solvuntur argumenta, n. 29. Et explicantur c. 2. de his, quæ vi, & c. Omnes accuſationes, n. 32. q. 7.

1 PRimo concors Doctorum ſent. eſt, id judicis arbitrio definiendum eſſe. Prob. ex *l. 3. ff. ex quib. cauſ. major.* ibi, *ſed non ſufficit quolibet terrore adductum timuiſſe, ſed hujus rei diſquiſitio judicis eſt*. Et ratio eſt, quia exprimi non poſſunt in particulari omnes caſus: & quamvis de aliquibus malis conſtet eſſe ſufficientia, cum requiratur probabilis illorum jam impedientium æſtimatio, jam judicis arbitrium deſiderabitur ad perpendendum, an talis ſit æſtimatio. Et ita docent *gl. c. Cum dilectus, verb. Metum, de his, quæ vi, Inn. ibi n. 1. fine, Hoſtien. ibi ſuper verb. Nec metum mortis, Joan. Andr. nu. 10. Ant. n. 14. Panorm. n. 8. Anchar. fi. Cardin. num. 3. oppoſit. 2. Immola nu. 9. Archid. c. un. de his, quæ vi, in 6. num. 4. & ibi Francus, fine, Alex. de Nevo, cap. finali, de appel. num. 22. & ibi Decius, n. 7. Lucas de Penna C. de metallariis, l. 11. l. 4. ad finem verſ. Et nota, quod juſtus metus, Bald. l. Interpoſitas num. 3. C. de tranſactio. Jaſ. inſtit. de actio. §. Quadruplici, nu. 53. Silv. verb. Metus q. 1. Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 4. num. 8. Menoch. de arbit. l. 2. centuria 2. caſu 135. num. 3. & 4. Nav. ſum. Lat. c. 22. n. 51. verſ. Secundum.* Et ex Theologis *Sotus 4. d. 29. q. 1. a. 2. verſ. Ejuſmodi autem metum*, & multi alii, quos hi referunt. Et ſicut in foro externo relinquitur hoc judicis arbitrio, ita in foro interno prudentis arbitrio. Sic *Veracr. 1. p. ſpeculi ar. 8. concl. 6.*

2 Hoc autem arbitrium non eſt quoad ea mala, quæ jure conſtat eſſe ſufficientia ad metum viri conſtantis. Quia (ut optime ait *Bald. c. 2. de his, quæ vi, ad finem*) arbitria data ſunt in his, quæ ſub regula comprehendi nequeunt ob humanam varietatem: ut notatur *l. Non poſſunt, ff. de leg.* Quare cum jure conſtet malum aliquod incutere metum juſtum, non eſt arbitrium. Unde arbitrium erit teſte *Silveſtro verb. Metus, q. 1.* quantum ad ea mala, quæ reducuntur ad damna expreſſa in jure, & quoad diſcernendum, an ſit probabilis æſtimatio illorum.

3 Ceterum quamvis hæc attento jure communi vera ſint, at jure regio Caſtellæ nititur *Villalobos in antinom. juris civilis, ac regii, lit. M. verb. Metus, n. 14.* correctum eſſe hoc arbitrium per *l. 7. t. 33. par. 7.* quæ declarat, quarum rerum metus cadat in virum conſtantem. Sed fallitur omnino: quia lex poſt enumerata prædicta mala ſubdit, *de tal miedo como eſte, o otro ſemejante*: ergo deſiderabitur arbitrium judicis perpendentis, quod damnum illis ſimile ſit. Præterea, quia *Greg. Lop. ead. l. 7. verb. Metus* ait concordare cum *l. Metum, & ſeqq. ff. de eo, quod met. cauſ. & l. Interpoſitas, C. de tranſactione* per quas dicunt DD. definiendum eſſe hoc judicis arbitrio. Item, quia jure communi erant etiam expreſſa damna, timorem juſtum incutientia: ut conſtat ex *toto t. ff. de eo, quod met. cauſ. & c. Cum dilectus, de his, quæ vi*, quo non obſtante omnes DD. aſſerebant exigi judicis arbitrium. Præterea, quia leges partitarum nunquam cenſentur corrigere jus commune, niſi expreſſe in eis dicatur. Ut probavi l. 2. diſp. 41. n. 8. Tandem, quia non tantum objectum timoris perpendendum eſt ad juſtum metum, ſed ejus etiam probabilitas, & ſubjecti qualitas, cui metus incutitur: ergo quamvis lege illa definita eſſent omnia timoris gravis objecta, deſideraretur judicis arbitrium, circa objecti æſtimationem, & ſubjecti qualitatem. Et ita contra *Villalobos*, tenent *Olanos concordia juris, lit. M. verb. Metu, n. 40. Enriq. l. 11. de matrim. cap. 9. n. 3. in comm. lit. T.*

4 2. Citra controverſiam, metus mortis cadit in virum conſtantem. Habetur *c. Cum dilectus, de his, quæ vi, & l. Nec timorem 7. ff. de eo, quod met. cauſ. & l. 7. t. 33. p. 7.* Et ratio eſt, quia omnium terribilium finis eſt mors, teſte *Philoſoph. 4. Ethic.* idemque dicendum eſt de metu mutilationis. Eſt enim quædam mors partialis membri, *c. Si quis abſciderit, d. 55.* & habetur expreſſe *d. l. 7.* Idemque dicendum eſt de timore gravis corporis cruciatus: habetur expreſſe *d. Cum dilectus, & ead. l. 7.* ad quem gravia verba reducuntur, cum graviter crucient. Et docent omnes.

5 3. Idem dicendum eſt de metu armorum: eſt enim cadens in virum conſtantem, licet portans arma eis non utatur, *l. 3. in princ. Quia armati, ff. de vi, & vi armata*, ibi, *ſufficit enim terror armorum, ut videantur armis dejeciſſe*. Et *l. 15. t. 2. p. 4.* ibi, *como ſi viesſe armas*. Et notat *Bart. ea l. 3. in princ. num. 1. notab. 2. Greg. Lop. ea l. 15. verb. Toviesſen Ant. Cucus l. 5. inſtit. maior. t. 12. num. 158. Padilla l. Cum proponens, la 1. nu 7. C. de tranſact. Guttier. conſ. 16. n. 8. Joan. Garcia de nobil. gl. 17. num. 16.* Idem dicendum eſt, licet portans arma ea deponat: cum enim poſſit iis armis uti, nihil eorum depoſitio confert, *l. Quoties, §. Qui in poteſtate, & l. In dilectis, in princ. ff. de nova*. Sic docent *gl. ea l. 3. verb. Sed dejecerunt*, & ibi *Angel. Greg. Lop. eod. verb. Toviesſen, Ant. Gabr. 2. tom. com. 11. verb. Metus, f. 106. colum. 1. Ant. Cucus eod. t. 12. n. 159. Guttier. conſ. 16. num. 10.*

6 4. Idem dicendum eſt de metu ſervitutis: ut ſi alicui libero effecto timor iniciatur redigendi illum in ſervitutem. Habetur expreſſe *l. Ego puto, & l. Iſti quidem, ff. de eo quod met. cauſ. & l. 15. t. 2. p. 4. & l. 7. t. 33. par. 7.* Et docent omnes: Imo idem dicendum eſt, ſi timor ſit amittendi inſtrumenta, quibus libertas probari debet. Ut expreſſe habetur *dict. l. Iſti quidem, & l. 7. & 15. proxime cit.* Quod intelligitur, quamvis non incontinenti amiſſis inſtrumentis redigendus ſit in ſervitutem: nam ſufficit id periculum poſſe evenire: per *l. Nec timorem 7. ff. de eo quod metus cauſ.* ibi, *quoniam ſi proditus eſſet, potuiſſet ea pati*. Procedit etiam, ſive ſit in poſſeſſione ſervitutis, ſive libertatis, ut docet omnia hæc contra alios, quos ibi refert *Gl. d. l. Iſti quidem verb. Se jam* ubi etiam cum *Joanne per ipſam citato*, id intelligit, licet alias probationes ſuæ libertatis habeat. Quia poſſibile eſt, eas non fore ſufficientes, & ut ſua libertate privetur.

5. Idem dicendum eſt de captivitatis timore, quia eſt quædam ſervitus. Item, quia longe majus damnum eſt, quam carcer, cujus timor in virum conſtantem cadit: ut dicemus n. 9. Sic docet *Sotus 4. d. 29. q. un. §. De primo contradictio eſt*. 7

6. Idem dicendum eſt de gravis exilii timore, eſt enim grave malum. Sic *Sotus l. 7. de juſtitia, q. 2. ar. 1. ad 2. verſ. Haud tamen hic pacabitur, Palacios d. 29. diſp. 1. f. 454. verſ. Adverte autem, Enriquez l. 11. de matr. c. 9. n. 4.* 8

7. Idem dicendum eſt de carceris metu. Habetur *l. Nec timorem, & l. Qui in carcerem, ff. de eo quod met. cauſ.* Quem caſum diverſimode explicant DD. quidam enim indiſtincte loquuntur dicentes abſolute metum carceris cadere in virum conſtantem. Sic *Sotus 4. d. 29. q. un. §. De ſecundo dico, verſ. Ad primum, & §. De primo contradictio eſt, Gabr. 3. diſt. 39. q. 1. a. 1. ad fi. ver. Juram. incautum, Victoria ſum. de matr. num. 268. Palacios 4. d. 29. diſp. 1. fol. 655. verſ. Recenſentur autem, Cord. ſumma 171. punct. 1. Verac. 1. p. ſpecul. ar. 8. concl. 2.* Et ex Juriſperitis, *Abb. cap. Cum locum, n. 9. de ſponſ. & ibi Præpoſ. ad fi. num. 12. Philip. Probus addit. ad Jo. Monachum, rubr. de renuntiatione in 6. num. 18. Roſella verb. Impedimentum, imped. 10. num. 2. Ang. verb. Metus, num. 1. Ant. Cuc. l. 5. inſt. maj. t. 12. nu. 155. Gutt. de juram. 1. c. 51. n. 5. Matien. l. 5. recop. t. 1. rub. gl. 1. num. 189.* Alii vero explicant de carcere perpetuo. Sic *Gl. l. Ego puto, initio, ff. de eo quod met. cauſ. Sotus l. 7. de juſt. q. 2. a. 1. ad 2. verſ. Haud tamen hic pacabitur; Angles floribus 1. p. q. 3. de matr. coacto, a. 11. ante 1. diffic. f. 546. Vivald. Candel. 1. p. de matr. num. 59 Carbon. de reſtitutione, q. 46. fundamento 2. §. Metus cadens.* Melius tamen dicendum eſt intelligi de carcere diuturno, & de vinculis atrocibus. Tunc enim eſt graviſſima pœna, ſecus ubi carcer brevis eſſet. Sic *Sotus 4. d. 29. q. 1. a. 2. verſ. Ejuſmodi autem metum. Enriq. l. 11. de matr. c. 9. num. 4. Arag. 2. 2. q. 88. a. 3. §. Pro explicatione hujus diffic. Bartholom. a Ledeſm. dub. 23. de matr. fundamento 3. Manuel 1. t. ſum. 2. edit. c. 231. concl. 3. n. 3.* 9

8. Idem dicendum eſt de timore amiſſionis ſtatus: ut conſtat ex *l. Iſti quidem, ff. de eo quod met. cauſ.* & ex verſ. allato *D. Th. 4. d. 29. q. un. a. 2. ad 2* continenti mala quæ juſtum metum incutiunt *ſtupri, ſive ſtatus, verberis, atque necis*. 10

9. Idem dicendum eſt de metu honoris amittendi. Habetur *l. 7. t. 33. p. 7.* ibi, *de recebir deshonra, porque fincaria infamado*. Quia viro bono gravior eſt honoris jactura morte ipſa. Hoc videtur ſentire *Gl. cum dilectus, verb. Metum de his quæ vi*, ubi ait metum verborum quandoque inferre juſtum metum. Quam ſequitur *Ant. Cuc.* alios referens *l. 5. inſtit. major t. 12. n. 143.* non enim video de quibus verbis intelligi poſſit, niſi quando metum incutiens eſt vir dicax & contumelioſus, facileque verba in detractoria prorumpens. Et tenent expreſſe *Barbat. conſ. 60. n. 3. vol. 1. Ant. Gabr. tom. 2. com. l. 11. verb. Metus, f. 106 col. 2. Padil. l. Interpoſitas, n. 4. C. de tranſ. Seraphinus de privil. jur. privil. jur. priv. 29. n. 2. Maſchardus de probat. concl. 1055. num. 53.* 11

10. Idem dicendum eſt de ſtupri comminatione, ſive in viro, ſive in muliere. Habetur *l. Iſti 8. ad fi. ff. de eo quod met. cauſ.* ibi *quod ſi dederit, ne ſtuprum patiatur vir, ſeu mulier, hoc edictum locum habet, cum viris bonis iſte metus major eſſe debeat, quam mortis*. Et *l. 15. t. 2. p. 4. O ſi fueſſe manceba virgen y la amenacaſen que jacerian con ella*. Ex quibus verbis videtur aperte colligi a contrario ſenſu, aliud, ſi mulier non eſſet virgo: Cum *lex partitæ* expreſſe loquatur de virgine, & *d. l. Iſti, de ſtupro*: quod acceſſum ad virginem, eſſe conſtat: nec æqua eſt infamia, & damnum in non virgine. Et ita etiam de ſtupro loquuntur *D. Th. 4. d. 29. q. un. a. 2. ad 2. & ibi Scotus q. un. §. De primo contradictio eſt, Durand. ibi, q. 2. n. 4. D. Bonav. q. 1. num. 5. Ricard. a. 1. q. 1. Palud. q. un. a. 2 concl. 2. n. 13. Gabr. 3. d. 39. q. 1. a. 1. ad fi. verſ. Juramentum incautum. D. Antonin. 3. p. t. 1. c. 7. paulo poſt princ.* Et ex juriſperitis, *Innoc. c. 1. n. 1. de his quæ vi.* Imo *Sotus, Barth. a Led. & Enriq.* quos retuli n. 9. fine, expreſſe dicunt, timorem ſtupri in virgine cadere in virum conſtantem. Quare contrarium videntur ſentire in corrupta. Ceterum idem credo eſſe dicendum, ſi eſſet vidua, ſeu mulier honeſta. Quia eadem eſt ratio: nam *d. l. Iſte quidem*, non conſideravit ſignaculum virgineum: cum idem dixerit in viro, ſed rationem ſubdidit, ibi, *cum viris bonis iſte metus major eſſe debeat, quam mortis*. Quæ ratio in vidua honeſta etiam militat. Et ita ſentit *Greg. Lop l. 15. t. 2 p. 4. verb. Manceba, Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. 231. concl. 3. n. 3.* Imo credo quamvis in muliere inhoneſta non præſumeretur in foro externo duci eo timore, ne vi opprimeretur ad contractum ineundum: ſi tamen revera illo timore traheretur, eſſet cadens in virum conſtantem. Probatur, nam metus perjurii cadit in virum conſtantem, cujus rationem reddit. *Seraphinus de privilegiis juramenti, privilegio 29. num. 1.* quia ſi metus perdendi honorem, eſt juſtus, a 12

fortiori metus amittendæ ſalutis æternæ, quæ per peccatum mortale perjurii perditur. Sed hæc ratio militat in noſtro caſu. Dices non amitti. Quia ſi vi præciſa cognoſcitur, non peccat: fateor, verum quæ mulier ita fortis eſſe poterit, ut in medio flammæ non ardeat? & ſaltem negari non poteſt exponi maximo, ac evidentiſſimo periculo admittendi peccatum mortale: unde dum textus, & Doctores loquuntur de ſtupro, exponunt caſum frequentiorem, non tamen quod velint arctare ad illum.

13 11. De metu infamiæ: non conſtat inter DD. Quidam enim dicunt non cadere in virum conſtantem. Per *l. Nec timorem, 7. ff. eo quod met. cauſ.* ibi, *nec timorem infamia hoc edicto continere Pedius dixit*. Et tenent *ibi gl. verb. Infamiæ, quando eſt infamia facti*. Idem docent de infamia *D. Th. 4. d. 29. q. un. a. 2. ad 3.* ubi *Durand. q. 2. num. 4. fi. Carthuſianus ibi, q. 2. Silv. verb. Metus, q. 4.* Imo de infamia juris, niſi adjunctam habeat mortis, aut cruciatus corporis pœnam, docet idem *Tabiena, verb. Impedimentum, imped. 9. q. 1. num. 2.* Alii dicunt cadere in virum conſtantem, quando infamia eſt talis, ut ei nullo modo occurri poſſit. Sic *Ant. Cuc. l. 5. inſtit. maj. t. 12. num. 155. Ludov. Lop. 2. p. inſtruct. de matr. c. 40. paulo poſt princ.* ſub dubio tamen id affirmat. Alii vero abſolute docent metum infamiæ cadere in virum conſtantem. Sic *In c. Cum dilectus, n. 1. de his quæ vi Turrecr. 32. q. 1. in ſum. n. 7. Carbon. de reſtit. q. 46. fundamento 2. §. Metus cadens.*

14 Sit tamen I. concluſio. Metus infamiæ juris, eſt viri conſtantis. Ut ſi quis deprehenſo in delicto infami, comminetur fore, ut eum prodat. Sic expreſſe habetur *l. Nec timorem 7. l. Iſti quidem, 8. §. fin. ff. de eo quod met. cauſ.* Et docent *gl. d. l. Nec timorem, verb. Infamiæ, Roſella verb. Metus, num. 2.* ubi *Angel. n. 5. Silv. q. 4.* Et ex Theologis, *Sotus 4. d. 29. q 1. a. 2. fin.* ubi *Palacios; diſp. 1. verſ. inter hæc autem mala, f. 656. Veracr. 1. p. ſpecul. a. 8. concl. 2. Barth. a Ledeſ. dub. 23. de matrimon. fundam. 3. Enriquez l. 11. de matr. cap. 9. n. 4. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 231. concl. 3. n. 3.*

15 II. Concluſio, Metus infamiæ facti, cui non facile occurri poteſt, cadit in virum conſtantem, ſecus quando facile occurri poteſt. Et ſic conciliantur opiniones, nam dicentes non cadere in virum conſtantem quos retuli, n. 13. intelligunt, quando facile ei damno ſubveniri poteſt. Et ita *D. Th. Durand. Carthuſ. Silv. Tabiena* pro ea opinione alleg. ſubdunt rationem, qua facile occurri infamiæ poteſt. Qui vero dicunt cadere in virum conſtantem, intelligunt quando non poteſt facile occurri. Prob. concluſio ex *cap. 22. Pro verb. Melius eſt bonum nomen, quam divitiæ multæ*. Sed timor amiſſionis magni patrimonii cadit in virum conſtantem (ut dicemus num. 21. & ſeq.) ergo & timor infamiæ. 2. quia timor infamiæ æquiparatur metui mortis, *l. Juſta, ff. de manumiſſis vindict.* ibi, *juſta cauſa, manumiſ. eſt, ſi periculo vitæ, infamiæve dominus ſervum liberaverit*. Ubi *gl. verb. Infamiæ*, ait, *quod ſimile eſt periculo vitæ*. Sic *Palud. 4. d. 29. q. un. a. 2. concl. 2 num. 13. Ledeſm. 2. p. 4. q. 49. ar. 3 §. Et ſi quæras quare infamia, Sotus Palacios, & Manuel alleg. nu. 14. Arag. 1. 2. q. 88. a. 3. §. Pro explicatione hujus difficultatis advertendum eſt, Petr. de Ledeſma de matr. q. 47. a. 2. §. Dubium tamen eſt.* Hoc tamen intellige, quando infamia eſt gravis, & alicujus momenti, ſecus ſi ſit levis. Et ita intelligitur *l. Nec timorem, ff. de eo quod met. cauſ.* dum decidit metum infamiæ non eſſe viri conſtantis, intelligit enim de infamia levi, & parvi momenti. Quod bene ſignificat *ibi gl. verſ. Infamia*, exemplificans, ut ſi quis minetur ſe malam cantilenam de aliquo cantaturum, quæ infamiam levem denotat. Et ita tenent *Sotus l. 7. de juſt. q. 2. a. 1. ad 2. verſ. Haud tamen hic pacabitur, Matienzo l. 7. recop. t. 1. rubr. gloſ. 1. num. 189. Vivald. Candel. 1. par. de matrim. n. 59.*

16 12. De metu excommunicationis, varii ſunt dicendi modi. I. eſt, non cadere in virum conſtantem. Prob. quia excommunicatio eſt medicinalis, *c. 1. de ſent. excom. in 6.* ergo non eſt malum, quod cogat ad effectum reſcindendi contractus. 2. Quia excommunicatio, aut eſt juſta, & tunc ſibi imputet excommunicatus: aut injuſta, & tunc non ligat: ergo nunquam excommunicationis metus cadit in virum conſtantem. Sic tenet *gl. c. Cum dilectus, verb. Violentia, de his quæ vi, Tancred. Vincent. & Philip.* quos refert *Socinus ſenior c. Sacris, n. 505. de ſent. excom.* idem tenet *Goff. ſum. t. de his quæ vi, n. 4. Archid. c. 1. de ſent. excom. in 6. num. 2. init. Barbatius: c. Ab excom. de reſcrip. Alciat. l. Interpoſitas, n. 9. & 10 C. de tranſact.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d. 29. q. un. a. 2. concl. 2. num. 13. Sotus ead. d. q. 1. a. 2. fi.* II. modus dicendi eſt, eſſe timorem cadentem in virum conſtantem. Qui cum privet ſuffragiis Eccleſiæ, fideliumque communicatione, eſt grave malum. Sic tenet *gl. fin. c. Olim, el 3. de reſt. ſpoliat. Joan. Bapt. Ferretus conſ. 171. fi. Barbatius conſ. 60. n. 3. vol. 1. Decius reg. In omnibus, 36. num 6. ff. de reg. jur. Seraphinus de privileg. juram. privil. 29. n. 4. Barth. a Ledeſma de matr. dub. 23. fundam. 3.*

17 Ceterum cum diſtinctione lis hæc dirimenda eſt. Aut enim excommunicatio eſt juſta, & tunc ejus metus non cadit in virum conſtantem: quia tunc eſt medicinalis, ut excommunicatus a pertinacia, & in obedientiæ culpa reſipiſcat, & facile poteſt, ac tenetur ſibi conſulere obediendo: quod ſi nolit, ſibi imputet: aut eſt injuſta, & tunc ejus metus cadit in virum conſtantem. Probatur, quia excommunicatio, quamvis injuſta, eſt timenda. *11. q. 3. c. 1.* & aliquam infamiæ notam irrogat, ſaltem apud eos, qui excommunicationis injuſtitiam non bene perceperunt: & obligat ad multa, propter vitandum ſcandalum. Item quia nulla major pœna excommunicatione poteſt jure canonico inferri, *c. Corripiantur, 24. q. 3. & c. Sacro, de ſent. excom.* appellatur Magna pœna: & in *Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 3.* appellatur Gladius, & nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Item, quia nihil ita formidandum eſt, quam ab Eccleſia ſeparari, *c. Nihil 11. q. 3.* quod fit per excommunicationem. Tandem quia non levis pœna eſt, inter homines eſſe, & eorum conſortio privari, *l. Hi qui ſanctum, C. de apoſtatis*. Ita tenent *Jo. Andr. c. Cum dilectus, n. 9. de his quæ vi*, ubi *Ant. n. 13. Anch. n. 7. Card. num. 3. q. 1. Immola n. 8.* Et videtur *ibi* tenere *Hoſtienſ. ſuper verb. Nec metu mortis*, & ita eum intelligit, idem tenent *Abb. ibi, n. 6. idem Abb. c. Olim, el 3. de reſtit. ſpoliat. nu. 10. Domin. c. 1. in princ. num. 7. de ſent. excomm. in 6. & ibi Francus, in princ. num. 2. idem Francus, cap. unic. num. 2. de his quæ vi, in 6. Roman. conſ. 396. num. 10. & l. Interpoſitas, num. 16. C. de tranſ. Socin. ſenior. c. Sacris, n. 505. verſ. Circa 23. principalem quæſtionem, de ſent. excomm. Gigas de penſionib. q. 36. Millis in repertorio, verb. Juſtus metus, Franc. de Platea de excom. § 46. n. 10.* habetur *t. 14. tr. novior. Philippus Probus addit. ad Monachum, rub. de renuntiat. in 6. n. 21. Roſella Excomm. 1. caſu 29. num. 12. Ang. verb. Metus, num. 4.* ibi *Silv. q. 5. Tabiena q. 1. n. 2. Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 4. num. 12 Villalobos in com. opin. lit. M. verb. Metus, n. 73. Ant. Cuc. l. 5. inſtit. maj. t. 12. num. 173. Padilla d. l. Interpoſitas, n. 14. Maſcardus de probat. concluſ. 1055. n. 50. Burſatus conſ. 72. n. 54. vol. 1. Flam. de reſign. benef. l. 1. q. 13. num. 134.* junct. *n. 142. Ugolinus de cenſuris, tabula 2. c. 24. in princ. n. 1.* Et ex Theologis, *Palac. 4. d. 29. diſp. 1. f. 656. verſ. Rogitas cur excom. Enriq. l. 11. de matr. c. 9. num. 4. Ludov. Lop. 2. p. inſtruct. de matr. c. 40. fol. 1070. §. Jam ex prædictis.*

Hæc tamen ſententia intelligenda eſt, in quantum ait metum excommunicationis injuſtæ cadere in virum conſtantem, quando ei facile non poteſt occurri: ut ſi non poteſt ſibi excommunicatus conſulere, appellando, vel quia non audet ob potentiam excommunicantis, vel quia non habet in promptu ſuperiorem, ad quem appellet, vel ſunt neceſſarii ſumptus, & eſt pauper, aut appellando eſt periculum in mora obtinendi abſolutionem, & impendet aliquod damnum de præſenti ob excommunicationem. *Sic Abb. c. Olim, el 3. n. 11. de reſtit. ſpoliat. & Cum dilectus, n. 6. de his quæ vi. Felin. c. Cum inter, n. 20. de except. Tabiena, Socinus, Cov. Ant. Cuc. num. 174. Burſatus, Ugolinus, Enriq. allegati nu. præced.* Et idem credo ſentire *Palacios ibi citatum*, dicit enim eſſe timorem viri conſtantis metum excommunicationis injuſtæ, niſi evidenter injuſta ſit. Id enim credo ſentire, quia quando evidenter eſt injuſta, facile eſſet remedium: ſi enim eſſet difficile, adhuc timor ille eſſet viri conſtantis. Hanc limitationem intelligit *Ugolinus ibi*, quando dum comminata fuit excommunicatio injuſta, non potuit timens ſibi facile conſulere appellando: ſi enim potuit, ſibi debet imputare, quare ait tunc non eſſe timorem viri conſtantis. Sed melius ceteri indiſtincte loquuntur. Quare ſi poſt latam excommunicationem injuſtam, non poſſit excommunicatus facile abſolutionem impetrare, ejus metus eſt viri conſtantis. Quia adhuc illa excommunicatio eſt injurioſa, & pœna graviſſima, & quamvis in culpa fuerit excommunicatus non appellando ad ſuſpendendum excommunicationis effectum, verum reſpectu ipſius excommunicationis expers eſt culpæ, cum injuſte ea pœna afficiatur ad extorquendum conſenſum. 18

Ad argum. propoſita nu. 16. ad probandum timorem excommunicationis non eſſe viri conſtantis, reſpondetur. Ad 1. excommunicationem juſtam eſſe medicinalem, ut excommunicatus ab inobedientia reſipiſcat: injuſtam autem minime, ſed pœnam injurioſam. Ad 2. dic, quamvis excommunicatio injuſta non liget coram Deo, ligare in foro externo, cogereque excommunicatum, gratia vitandi ſcandali, ut abſtineat publice ab officiis divinis, Sacramentis, & fidelium Participatione: quæ ſunt graviſſima damna, ac jure optimo pertimeſcenda. 19

Ultimo de metu amiſſionis bonorum, quidam cenſent non cadere in virum conſtantem. Probatur ex *cap. Cum dilectus, de his quæ vi*, ibi, *non obſtante violentia, quæ proponebatur illata, cum neque metum mortis, nec cruciatum corporis contineret, & ideo non debuit cadere in conſtantes*. Sed metus amiſſionis bonorum non eſt mortis, nec cruciatus corporis, ergo. 2. probatur ex *cap. Omnes accuſationes, 32. qu. 7.* ibi, *nolo mihi proferas damna rei familiaris*. Ex quo conſtat, metum paupertatis minime excuſare. Sic *Paludan. 4. d. 29. q. 1. a. 2. concl. 2. n. 13.* Alii vero limitate loquuntur, quando bona vitæ tuendæ neceſſaria ſunt. Sic *Hoſtienſ. c. 2. de his quæ vi, ſuper verb. coactus, & Led. 2. p. 4. q. 49. a. 3. §. Sed dubitabit aliquis*, adhuc ſtrictius loquitur, ait enim tunc eſſe timorem viri conſtantis, quando amiſſio bonorum tanta eſt, ut cauſa futura eſſet amiſſionis ſtatus, & familiæ. Alii vero dicunt omnium bonorum amiſſionis metum cadere in virum conſtantem: nec amplius explicant, unde exigere videntur, ut amiſſio ſit omnium bonorum. Probatur ex *c. 2. de his quæ vi*, ibi, *quæ cum a domo, & univerſa poſſeſſione expellerent*. Ubi textus ad concedendam reſciſſionem renuntiationis metu perdendi bona factæ, ponderat timorem jacturæ univerſæ poſſeſſionis. Sic *Bart. l. fi. num. 9. ff. de condict. ob turp.* 20